
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

DA BOX

N.º 3537.



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

IMMORTALITAS
Illuſtris, Magnifici, & Nobiliſsimi viri Dn.

HENRICI RAN-
ZOVII,

TRIUM POTENTISSIMORUM RE-
gum Daniæ in Ducatibus Schleſvigæ, Holſatiæ,
Stormariæ & Dithmarſiæ nuper vicarij, Herois glorio-
ſiſsimi, Mortalibus induvijs exuti.

Ad aperiendum vetuſtam Ranzovianæ gentis
Originem & Celebritatem, in eiuſdem Exequijs Ora-
tione publicâ æternitati demandata
à
M. STEPHANO MACROPO
Andreæmon.



vid. Bibl. Lubec. vol. VI. p. 201.

Has tibi, RANZOVI, lacrymas, monumenq; doloris
Pro meritis ſtatuit, Cimbria mœſta, tuis.

Hamburgi Typis Philippi de Ohr, Anno 1599.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

ILLVSTRI

NOBILITATE ET PROSAPIA

Quà doctrinam, quà virtutem

Ampliſsimis & Clariſsimis Viris:

D. *FRANCISCO, BREIDONI & GER-* HARDO RANZOVIO, *germanæ nativitatis & fidei fratribus:*

Itemque:

D. *BENEDICTO, NICOLAO & BAL-* THASARO, *ex* ALEFELDIORVM *Familia præcipuis, Cognatis & Regijs in Holſatia Conſiliarijs ac Præfectis:*

Et:

D. *CAIO RANZOVIO, Dno. in Haneroa.* HENRICI RANZOVII *Filijs, Generis, & Hæredibus:*

Dominis & *Fautoribus ſuis colendis.*

DIci vix poteſt, Viri Nobiliſsimi & ampliſsimi, quanta triſtitia & mœrore tota Holſatia ſit conſternata, túm ex ſiniſtro illo, qui ad nos perfertur, bellici in vicinia apparatus rumore, tùm veró inprimis ex inſperato, ac quod nos attinet, immaturo diſceſſu Parentis & Soceri veſtri, ex triſti hác lachrymarum valle, ijs temporibus non ſolùm patriæ, ſed & bonis omnibus erepti, quibus ad aver-

tendum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

tendum iſtum belli metum, ipſum præcipuè reſpicere videbatur. Quod quanquam verum ſit; dubium tamen non eſt, tantò majori vos luctu oppreſſos & conſternatos eſſe, quo acriori ſtimulo, Patris & Soceri veſtri deſiderium, naturali & occultâ quadam ϛοϱγῇ per omnes venas & arterias diffuſum, animos veſtros exuſcitat, & doloris magnitudinem in illis exacerbat. Propius enim nos illi tangunt, qui nobis ſanguine, quam qui familiaritate conjunguntur. Rurſum viciniores nobis ſunt, quos benemeritorum, quam quos vulgaris duntaxat notitiæ cauſâ veneramur. Priori modo vos Parentem & Socerum: Poſteriori nos benefactorem noſtrum lugemus. Illud ab affectu: Hoc ab amore: illud à pietate: hoc à gratitudine emanat. Utroq́ue modo in communi & magno luctu verſamur. At nos quidem hujus luctus noſtri remedia, eaq́ue in propinquo habemus, dum in unoquoque veſtrûm RANzovij amiſsi virtutes, easque ætatis ratione validiores, ac literario decore illuſtres agnoſcimus, dum eandem in vobis mentem, eandem voluntatem, idemq́ue animi robur in quemcunq́ue caſum ſufficiens animadvertimus, dum denique vos honeſtiſsimarum eius actionum imitatores videmus.

Nec vobis deerit optima ex prudentiſsimis con-

ſilijs

ſilijs deducta ratio, quæ normam modumque lugendi præſcribet. Non deerunt amici, qui communicatione doloris onus hoc vobis nonnihil allevabunt. Non deerunt poſtremò (ſiquidem non eadem ægrotantibus nobis, quæ ſanis, occurrunt ſtatim medicamenta) Theologi doctiores, qui vos ad deguſtandos divinæ Scripturæ Conſolationum fontes deducant, quibus hauſtis, deſiderij veſtri ſitis morâ quadam paulatim extinguatur. Ad quod non mediocriter vobis proderit, frequens cogitatio perpetuæ laudis, gloriæque immortalis, qua à primævo ortu etiam poſt obitum ita illuſtris vivit parens & ſocer veſter, ut ad eas deterendas vel conſumendas nihil vetuſtatis rubigo, nihil Invidorum obtrectatio, nihil adverſariorum calumnia valere poſsit. Ringant ſanè, quidvis in laudatiſsimum Ranzovij nomen moliantur: Illud nihilominus, ut Poeta verus loquitur.

Caneſcet ſæclis innumerabilibus.

Earum laudum ſeriem amicorum invitatione, hác oratione mea nudè (ut nuda eſt veritas) ſine affectato verborum & ambitionis fuco, non pro earum magnitudine, ſed pro ingenij modulo á me contextam, relegendo uberius denuô cognoſcite, & ſi quam mihi pro eo gratiam rependere volueritis, ſaltem Ran-

 zovio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

zovio Parenti & Socero veſtro in amore erga me reſpondete, & vobis, quæ veſtra eſt humanitas, quàm commendatiſsimum habetote. Plus tunc honoris & beneficij me à vobis recepiſſe, quam amiſiſſe, non inficiabor. Sic meliori vos fato diu perpetuoq́; incolumes Deus ſoſpitet, & á tot illuſtribus viris maioribus continuatam laudis veſtræ telam feliciter perennet. Itzehoá proprid. Calend. Martij Anno Chriſti M. D. XCIX.

V^{ræ} Amplitud.

Studioſiſs.

M. STEPHANUS MACROPUS.

ORATIO FUNEBRIS DE HENRICO RANZOVIO.

QVÆ ſingula etiam audaciſsimum quemq́; à dicendo deterrere, & Ingenij impetum frangere poſſent; viri Illuſtres, nobilitate, multisq́; aliis honoribus ſpectatiſsimi, vosq́; cæteri auditores celeberrimi; Ea univerſa ita hodiè concurrunt, ut unde aut incipiam, aut in quo orationis terminum defigam, penitus ignorem. Dicendum enim mihi in publico hoc omnium luctu de Ampliſsimis virtutum & factorum laudibus, Illuſtris, Magnific i & Nobiliſsimi Viri, HENRICI RANZOVII, de Eccleſia & Republ. Chriſtiana optimè meriti, à DEO Opt. Max. non ita pridem ad ſolenne illud beatiſsimorum heroum evocati, cujus jactura, quantoperè cuivis noſtrûm, hac præſertim tempeſtate, in quâ dum totus terrarum orbis horrendis belli motibus variè concutitur, hæc Patria, ſalus & fortuna noſtra, ejus patrocinio, adverſus hoſtiles machinationes egregiè communita ſtetit, ſit deploranda, nemo eſt, qui, licet velit, ignorare poſsit. Sive igitur luctuoſam horum temporum memoriam repetamus, ſive meritorum optimi viri amplitudinem expendamus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

damus, fieri non poteſt, quin ut quantum fiduciæ, laudis & virtutis ipſius recordatio mihi adjecit, tantum timoris mœſtiſsimus hic veſter conſeſſus, hæc nova dicendi forma, materiæ præterea difficultas & magnitudo, animo meo ingerat, ac velut in ſubitanea rerum omnium confuſione & tumultu, ſtupor me quaſi quidam oppreſſum, variè anxium ſollicitumq́ reddat. Uno quippe eodemq́ tempore, commemoratione ampliſsimorum, quæ in patriam, quæ in ſubditos, quæ in peregrinos, egenos, viduos, orphanos exercuit, meritorum, & ad luctum inflammandi, & recordatione optimæ felicitatis, quâ nunc perfruitur, ad lætiſsimum animorum gaudium eſtis erigendi, ut quo corpore Parentem hunc veſtrum ſequi non poſsitis, cogitatione & mentis deſiderio pertingatis. Quod quam in hac rerum perturbatione etiam exercitatiſsimo, ne dum ignaro, parumq́ in Oratoria hac palæſtra verſato, dictu ne dicam an factu difficile ſit, etiam vel mediocriter in hac arte progreſsi, mecum agnoſcunt. Quoniam tamen tùm gratitudinis debitum, juſtum non minus quam pium, tùm beneficiorum, quæ in me abundè congeſsit, memoria, manes deniq́ ipſi ante oculos jam noſtros obverſantis funeris, id parentandi officium, jure quodam ſuo à me expoſcunt; impius profectò eſſem, niſi in eo piiſsimis manibus obſequium præſtarem:

iniquus eſſem, niſi aliquam Gratitudinis ſignificationem, pro tot tantisq́; beneficiis reponerem: Vos autem in defuncti cineres & pietatis legem maximè contumelioſi, ſi, quod & ab Ethnicis factum cognovimus, tàm illuſtris viri occaſum lacrymis veſtris non exiſtimaretis condecorandum!

Sed video pleroſq́; veſtrum, & in his non ſolùm mœſtiſsimam Conjugem, liberos, propinquos, conſanguineos, & nobili loco ortos, ſed & plebeios & infimæ conditionis homines, ita dolore indignitateq́; triſtiſsimi hujus ſpectaculi debilitatos, ut in promiſcuo Civitatis totius mœrore, quo plateæ, compita, vici, domus, templa, ſcholæ, omnesq́; adeò hujus Regionis anguli publicè privatimq́; jamdudum perſonant, non tàm ad fletum provocandi, quàm conſolatoria oratione, ad conſuetam fortitudinis conſtantiam animandi eſſetis, niſi multi in cœtu hoc noſtro verſarentur, qui quantum periculi ex interitu Nobiliſsimi hujus viri, Reipub. Chriſtianæ & ſingulorum fortunis immineat, adhuc ignorarent. Quocirca quod omnes vos velle animadverto, neceſsitati me temporum unà vobiſcum accommodabo, & ne, quam modo de me concepiſtis opinionem negligere videar, ſepoſito, qui tantoperè me antea terrebat metu, dicendi partes lubens obibo, & primo quidem loco, de avita & hæreditaria Ranzoviani ge-

neris dignitate, proprio deinde Illuſtris hujus viri beatè quieſcentis virtutum ſplendore, nominis celebritate & fortuna, poſtremò cur ejus jacturam meritò deflere debeamus, quædam ſed quam fieri poterit, breviſſimè commemorabo. In hisce carceribus tota oratio noſtra militabit. Quanquam verò me vix vel minimam partem earum virtutum, quibus inter principes nobilitatis viros, HENricus RANzovius enituit, aſſequi poſſe confidam: tamen ita ubivis in argumento hoc pertractando verſabor, ut ex infinito illarum cumulo, ſi non omnes enumeraſſe, primarias tamen delibaſſe, neq; plus quam veritas permittit, divinis ipſius laudibus affinxiſſe, quin imò contra quam oportet, minus multò me dixiſſe, ipſi etiam aduerſarij liquido fateri cogantur.

Vos autem omnes & ſingulos qui vivum ſemper amaſtis, & hûc publici hujus luctus cauſâ confluxiſtis, qua par eſt, ſubmiſſione, rogatos volo, ut quem vivo habuiſtis, etiam nunc mortuo ultimum & ſupremum honorem hâc horâ non denegetis, et cujus nomen aures veſtras in funebri hac pompa etiam nunc circumſonare, memoriamq; ita altiſſimè vobis infixam ſcio, ut non niſi cum morte eam deponere poſſitis, hodie de laude illius me modeſtè diſſerentem, benignè & attentè audire velitis, quo ita quaſi ſecundo veſtri favoris vento provecta mea oratio facilius portum conſequatur.

Ut gitur ab eo exordiar, nemo ignorat, quam magnum & illuſtre homini decus ſit, honeſto loco natum eſſe. Tanto enim quiſq; plerunq; major, quanto honeſtiori ſanguinis ortu eſt prognatus, quoq; propius nativis virtutum propriarum ornamentis, ad avitam & hæreditariam à majoribus ſuis acceptam dignitatem accedit. Quod qui negligit, illum ipſum aut parũ honeſtũ eſſe, aut minus religioſè de honeſtate ſentire oportet.

Quanquam igitur verum ſit quod Poeta ſcribit:

Et genus & proavos & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra puto. - - - *Ea tamen ſi nihil aliud ad generationem conferunt, nihilominus infinitam naturæ generoſitatem mirificè augent & commendant. Quemadmodũ enim celſa & erecta corporis ſtatura, æqualis item ac ſymmetra omnium partium conveniẽtia, venuſtiorem & amabiliorem ipſo intuitu efficiunt hominis formam: Ita longa et continuata generis ſeries magnorum virorum exortu hinc inde ceu gemmis quibuſdam diſtinctè collucens, majorem & ſpecioſiorem nativitati ornatum affundit. Momentum præterea nõ exiguum adfert ad res præclarè aggrediendas. Ea namque cogitatione animus à vitiorum turpitudine procul ad pulcherrimarum rerum contemplationem abducitur, ad honeſtas actiones inflammatur, & veluti ſtimulis quibuſdam ad ſimilem gloriæ immortalitatem*

affectandam incitatur. Neque fieri poteſt, ut præclara familia multis egregiorum factorum inſignibus ornata, infra dignitatis exiſtimationem ſeſe dimittat, aut diverſam à ſe ſobolem producat. Quod & in aliis naturæ operibus cernere licet. Leo enim paris invictiq; roboris catulum ex ſe gignit, nec optimum triticum alterius ſpeciei ſemen folliculis ſuis excludit, neq; cum alieno illud permiſcet. Quo etiam Horatius digitum intendere videtur, quando ait:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Quantum ergò vitioſitatis inhoneſta liberorum procreatio ſecum trahit, tantum dignitatis ex honeſta generatione cuivis affulget. Cavendum tamen, ne partam honeſtiſſimæ in avito genere ſucceſſionis laudem, temerè aliquis vitæ impuritate, & flagitioſâ quidvis agendi libidine inquinet, atq; ita non duntaxat ſibi, ſed & retrò omnibus ejuſdem familiæ conditoribus, perpetuam ignominiæ ac turpitudinis maculam inurat, quæ temerè contracta, non eâdem, quâ contrahitur, celeritate exuitur. Quam in ſententiam, ut omnia ſapientiſſimè Plutarchus ſcriptum reliquit:

Quorum

Quorum vel à patre vel à matre aliquid vitij natales habent, eos per omnem vitam opprobria comitantur, quæ elui nullo modo poſſunt, ſuntq́ in promptu vitia iſta, ſi qui ignominia eos afficere volunt. Cum igitur tanti referat, quo loco, quibus item parentibus quiſque naſcatur, nemo, ut opinor, qui altius iſta conſideraverit, hoc inſtitutum meum tanquam temerarium aut à ſcopo alienum repræhendet, quod antequam reliqua explicanda aggrediar, ab ea parte, à qua tota ſecuturæ ætatis regendæ ratio ſaluberrima dependet, potiſſimùm orationis ductum voluerim auſpicari. Ita namque omnes ſibi perſuaſum habeant, illuſtrem naſcendi ortum eximiam quandam reliquis vitæ partibus lucem inferre, indeq́ velut ex fonte rivulos quoſdam ad poſteros dimanare, quorum guſtu laudis ardorem non ſedari, ſed provocari, non extingui, ſed accendi magis ſentiunt. Unde fit, ut quo quiſq́ ſanguine eſt clarior, eò alacrior eam gloriæ viam, per quam majores ſuos ad honoris arcem enixos eſſe cognovit, ingrediatur, futurum ſperans, ut quo laudis in genere illi excelluerunt, ipſe etiam aliquando induſtriâ ſuâ excellat. Qui verò ab abſcuro defluxit principio quid ille præclari cogitabit? quo ille facinore familiæ ſuæ gentem inclaruiſſe demonſtrabit? quomodo quæ in propagatoribus non fuit, ipſe ad invictam animi excelſi magnitudinem

aſpirabit? Certè ut umbram magnæ gloriæ affectet, & eximium quoddam præter vulgarem conſuetudinem facinus moliatur, illa tamen abjecto generis primordio haud ſecus ac exiguum lumen à validiſſimis tenebris non mediocriter obſcurabuntur. Ac ut omnia, quæ à viris magnis & illuſtribus geruntur, clariora vulgo habentur: Ita viciſſim quæ tantis authoribus flagitia committuntur, conſpectiora ſunt, omniumq; in ſe aures oculosq; convertunt. Quo Horatius alludit:

Omne animi vitium tanto eſt conſpectius in ſe
Quanto quis major vulgo, qui peccat, habetur.

Quocirca iſtud veriſſimum eſſe, quod principio dixi, videtis, generoſam nimirum ſtirpis indolem & nobilitatem, egregium ad exiſtimationis famam decus & honorem afferre. Jacta ſunt optima profectò inſtituti noſtri fundamenta.

Tempus porrò jam adeſſe ſentio, ut ad ea quæ Ranzovianæ gentis peculiaria ſunt ornamenta, & quæ, ſive generis dignitatem, & multorum annorum ſerie auctam continuatamq; his in locis ſine interruptione ſucceſſionem, aliquis intueatur, ſive glorioſas ejuſdem familiæ rerum geſtarum actiones cogitatione percurrat, cum nullo alio communia habent, orationem convertam. Quâ in parte minimè integram Ranzovianorum

norum hiſtoriam hac vice pertexerē, ſed veluti per amœna virtutū ipſarum vireta obambulando inſigniores illas decerpere conſtitui, quibus hæc familia à primo ſemper initio effulſit. Et ne longius abeam, tum ex veterum quorundam Scriptorum monumentis, tum aliarum veriſimilium probationum conjecturis conſtat, Ranzoviani generis proſapiam, licet alia, quæ eam abunde exornant, argumenta deſiderarentur, ſua ipſius vetuſtate ſatis ſuperq́ in Holſâtia eſſe commendatam. Siquidem ea non recens & nova, aut patrum noſtrorum memoriâ cœpit, ſed ultra quadringentos & eò plures annos eodem ſemper vigore perduravit. Cumque aliæ complures, nobiles ſatis & vetuſtæ, perinde ut res aliæ omnes corruptioni obnoxiæ, temporis diuturnitate collapſæ, penitusq́ extinctæ reperiantur; hæc tamen miro ſemper utriuſque ſexus augmento, contra interitum ſe defendit, & ad innumeram, etiam hac ætate, multitudinem excrevit. Et veriſimile eſt, hanc ſtirpem quoque ante Caroli Magni tempora in hac Cimbria (unde orti bellicoſi illi Cimbri, toties ex Italia cum victore exercitu, cæſis poſt Alpes, M. Carbone, Æmilio Scauro, multisq́ aliis, poſtremò M. Manlio clariſsimis Romanorum Imperatorib. reverſi, quorum vel ſolum poſtea nomē, magis quam Annibalis ingentes copias, tam Galli quàm Romani diu horruerūt) floruiſſe,

floruiſſe, indeq́; ſapientiſsimos Duces lectos eſſe, qui harum regionum populis cum imperio præfecti, pacis tempore rectiſsimis conſiliis eos gubernando, belli verò neceſsitate, acies inſtruendo & dirigendo, tot tantaq́; ſuper mortalium fidem facinora perpetrarunt. Deplorandum utique eſt, eo ſeculo, Septentrionales haſce provincias, Muſis ipſis armorum populi aſperitatem formidantibus, ita precioſiſsimo rei literariæ theſauro fuiſſe orbatos, ut cum Immortalitatis conſequendæ causâ, fortiſsimi viri omnia egerint, eâ tamen ipſa, propter literarum ignorantiam & hiſtoricorum penuriam miſerè ſe defraudarint. Nam ſi & Cimbris ſuum Livium Tacitumvè fata non invidiſſent, etiamnum hodie inter illos Italiæ domitores, ipſiq́; ni fortuna curſum retardaſſet, totius orbis maximæ, totq́; regnorum populorumq́; victrici Romæ, aut excidium, aut ſervitutem interminantes, Ranzoviorum nomina vetuſtiſsimis monumentis condita legerentur. Manifeſtum autem eſt, id quod à multis Antiquitatis ſcrutatoribus, tum verò ab authore, cui exequias haſce paramus, in Genealogia Ranzoviana diligenter eſt annotatum, quod hæc familia ex Holſatia olim in Miſniam commigrarit, ibiq́; paternis defixis laribus, antequam huc reverteretur, pluſquam ducentos annos habitârit. Cæterùm quâ ratione id factum, facili

conjectura

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

conjectura aſſequamur. Cum enim eâ tempeſtate Holſati, qui & Cimbri vocantur, non tantum cum Daniæ regni populis potentiſsimis, ſed & cum vicinis principibus Vandalis, perpetuo belli jure de principatu decertarent, neque niſi alterutra pars devicta, victoris leges agnoſceret, ſpes belli iſtius diuturni finiendi relinqueretur, temporum neceſsitati cedendum eſſe, viri etjam fortes rati, potius quam patriam toties ſuorum ſanguine inundantem aſpicerent, ſolum avitum vertere maluerunt. Quam rationem noſtram, ſi quis minimè tolerabilem dixerit, propterea, quod Cimbri bellicoſiſsimi pro patriæ defenſione & libertate propugnanda, extrema ſubire, & in acie etiam fortiter occumbere, quam turpiter fugiendo victoriam ſine cruenta cæde hoſti tradere, glorioſius exiſtimaverint; ille hodie, ſi non in Belgium, ſaltem in Hungariam afflictiſsimam, non ſemel noſtrorum ſanguine irrigatam, oculos ſuos convertat, eandemq́; calamitatis faciem ibidem deprehendet. Poſtquam enim ultra ſeculum Turcicâ agrum ſuum ſævitiâ incendi & devaſtari, urbes domosq́; dirui & expugnari, ſacra & prophana cædibus permiſceri, conjuges ad triſtem ſervitutis ſqualorem abduci, liberos ex amplexu ſuo auelli, propinquos & amicos in conſpectu trucidari; filias in neſcio quem fœdæ libidinis uſum reſervari viderunt, ani-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

moq; ingenti; hactenus ſuſtinuerunt, tandem tamen multiplici victoris inſolentiâ commoti, patriis poſſeſſionibus à tergo relictis, ad quærendas peregrinas tranſire modò coguntur. Eandem & Cimbrorum fortunam, uſque ad ultimam Comitum Oldenburgenſium in Reges Daniæ electionem, quorum auſpicio hæc regna felici in hunc uſque diem tranquillitate gubernantur, ſub reliquorum Daniæ regum Imperio fuiſſe, monumenta vetera, & inprimis Hiſtoria Cimbrica, non ita pridem à Ranzovio noſtro concinnata, loquuntur. Nam cum Cimbria peninſula ab illa tantum parte, qua verſus Septentrionem Daniæ conjungitur, omni aquarum præſidio, aliisq; propugnaculis ſit nudata, incurſionibus & latrociniis Danorum pervia facta, multa profectò indigniſſima perpeſſa fuit.

Atque eò tandem Danicæ gentis audacia increvit, ut non modo inſidiis vicinos Cimbros, quorum libertati invidebant, oppugnarent, ſed etiam, quo majorem illis terrorem incuterent, omni coactâ vi, cum formidandâ multorum millium manu in Holſatiam effuſi, inſtar incendij longè lateq; eam depopularentur, ſegetes exurerent, frugiferam ſoli fertilitatem exſcinderent, incolas non ſolùm bonis omnibus exuerent, ſed & exutos pecudum in morem miſerè jugularent, omnem denique Regionem horribili cæſorum ſtrage & dome-

ſtico

ſtico luctu deformarent. Et quanquam alia nobis incognita, hodieq́ minus uſitata, olim belli fuit gerendi ratio: tamen in eo conveniunt, quod mutatis tantum perſonis pari ubique crudelitate victores in devictos ſævitiam ſuam exercuiſſe, & quam ſæpè in viventibus non potuerunt, in cadaveribus furentis animi libidinem expleviſſe leguntur. Attamen hæc ipſorum aliena invadendi protervia, non eadem ubique felicitate ſucceſsit. Nam & Cimbros in tractandis armis exercitatiſsimos, & tàm ad inferendos quàm excipiendos hoſtilium gladiorum ictus æquè ſtrenuos & expeditos, ubi in acie cominus res manibus peragenda, offenderunt. Qui cum Danorum impreſsionem & violentiam, fortitudine magis quam multitudine confiſi, multis eorum millibus aperto prælio trucidatis, fortiter aliquoties repuliſſent, reliquos intra fines ſuos ita concluſerunt, ut non tàm de inferendo, quàm avertendo belli timore ad ſe delato, aliquandiu cogitarent. Interea accepto reſpirandi ſpatio, novo poſteà ſubindè impetu erumpentes Dani, tantoperè finitimorum robur attriverunt, ut ad aliena auxilia plus neceſsitate, quam alia de cauſa, quærenda adigerentur.

Quo fato ad Schauenburgenſes primò, deinde Oldenburgicos Comites Holſatiæ Dominium pervenit, qui etiam magno & acerrimo ſæpius cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

Danis ad internecionem conflictu depugnârunt, in quo modo Cimbri, modo converſâ bellicæ fortunæ inconſtantiâ, Dani victores evaſerunt. Teſtes adhuc ſunt in Holſatia loca plurima, cruentis iſtis pugnis & inſignium virorum cæde nobilitata. Teſtes adhuc ſunt aggeſti, & paßim ad condenda interfectorum oſſa, erecti tumuli, è quibus interfectorum reliquiæ non rarò eruuntur.

Teſtis denique, præter alia, Rendesburgum celebre Holſatiæ oppidum, quod naturâ & arte ſatis olim munitum, iſtas invictißimorum populorum concurſiones non tantum vidit, ſed & gravi aliquoties obſidione cinctum, varias oppugnantium injurias pertulit. Adeò, ut ex re, nomen Rendesburgi verè ei ſit attributũ. In qua rerum omnium converſione, quam bellitumultus ſecum vehunt, plurimi multifariis iſtis adverſæ fortunæ tempeſtatibus jactati, aut loco ceſſerunt, aut certè ut liberos eo diſcrimine ſubtraherent, neque illorum intuitu animi molleſcerent, aliò extra periculi jactum ablegandos cenſuerunt. Nempè eâ fortè ratione adducti, ut (quemadmodum nuſquam incertiores quam in bello ſunt Eventus) ſi omnes Martis furore abſumi contingeret, liberos ſui ultores, ſtirpisque conſervatores haberent.

Neq; hoc ſuperioribus ſolummodo ſeculis fuit uſurpatum

patum, ſed & apud nos, quoties ea fortuna ingruit, quam utinam propitius aliquando fatum avertat, obſervatur. Quo enim tempore Viennam Auſtriæ Turcicus Solymannus ingenti ipſoq; aſpectu formidabili exercitus robore obſedit, non tantum urbis optimates, ſed & honeſtioris conditionis cives, ſpem poſteritatis agentes, liberos à ſe procul removerunt, ne ſi ita Diis iratis res ferret, & urbs civibus ſuis, & cives urbe uno eodemq; momento deſtituerentur, & in malum longè gravius conijcerentur, liberorum autem ſucceſſione omninò defraudarentur. Idem Ranzovianæ familiæ eveniſſe, arbitrandum eſt. Siquidem horum poſteros poſtliminio ex Miſnia in Holſatiam reverſos eſſe, deinde perſequemur. Quanquam nihil refert, num ita res, quemadmodum recenſui, geſta ſit nec ne, modo illud extra dubium relinquatur, tum propter alia, quæ huic genti ab ipſo ſtatim ortu acceſſerunt ornamenta, tum quod Liſniciorum & Groicenſium Comitum, qui paulò ante nos maſcula prole extinctâ interierunt, originem ex ſeſe procreârit, adeoq; honorificentioris tituli acceſſione, in poſterum, quam antea unquam illuſtriorem reddiderit, ei antiquitatis pariterq; honeſtatis laudem meritò præ aliis deberi. Quomodo enim non eſſet antiquiſſima, quæ aliis poſt ſe antiquitatis cauſa fuit? quomodo non honeſtiſſima, quæ eos

 honores

honores principum ſuffragio & authoritate conſecutæ eſt, quos non niſi honeſtiſsimus quiſque ad ſe pertinere judicabit? Atqui Liſnicenſes, Comites antiquiſsimos ex Ranzoviorum ſtirpe prodiiſſe, dubitari non poteſt, cum quod nomina utrinque conveniant, tum quod gentilia Liſnicenſium Comitum & Ranzoviorum inſignia, ut paulò poſt dicam, ſibi invicem reſpondeant: honeſtiſsimam verò fuiſſe, inde patet, quod olim non indignis, aut infimis, ſed ut virtutis & generis cujusq; claritas maximè eluceſcebat, illi honores deferrentur, ad quos nemo ſe ſcelere vel fraude perventurum ſciebat. Et licet moris tum non fuit, ut liberi parentibus ſuperſtites eandē, qua illos principum beneficio uſos fuiſſe viderant, dignitatem occuparent: continuò tamen Liſnicenſium poſteritam in paternorum bonorum, quam gloriæ eorundem poſſeſsione ita ſucceſſerunt, ut unà cum regenda ſibi aſsignata provincia, titulum etiam eundem uſurpaſſe, & propter navatam principibus operam, utrumq; deinceps hæreditario jure acquiſiviſſe, ejus ſeculi ſcriptores annotarint. Unde evincitur, omni eos pietate, fortitudine, conſtantiâ, fide & amore erga Dominos plurimùm conſpicuos, honeſtate inſuper vitæ fuiſſe probatiſsimos, quarum virtutum amplitudine allecti principes, ad tantum nominis &

famæ, conceſſo ad perpetuitatem Liſnicenſis & Groi-
cenſis comitatus dominio, faſtigium eos extulerunt.
Inter quos longè celeberrimus vixit VI[redacted]PER-
TUS cognomento Bellicoſus, cujus merita omninò
maxima, nulla unquam ætas obliterabit, nulla obli-
vio delebit, nulla denique malevolorum invidia
obſcurabit. Multa is in poſterorum laudem
præclarè fecit, quæ ſingula oratione copioſa eſſent illu-
ſtranda, illud inprimis, quod Henrico IV. Imperatori
ad componendos ſeditioſorum quorundam Pontificum
motus, & redigendos in ordinem quarundam civita-
tum præfectos, in Italiam, pernicioſo tum ſchismate
laborantem moventi, adductis voluntarij ſubſidij lo-
co aliquot millium Equitum turmis, ſumma ubique
fide præ cæteris adhæſiſſe, eumque ante Romam ardo-
re quodam ſeſe ulciſcendi, longius equo in hoſtes præ-
tervectum, quum illi gladius è manibus excidiſſet, ſcu-
to & corpore ſuo, dum reliqui advolarent, protexiſſe,
enſeq́; proprio rurſus tradito, præſentaneo periculo ſub-
traxiſſe; poſtea illius auſpicio, multas Pontificij nomi-
nis præclaras urbes, & in his ipſam Romam ſubegiſſe,
pontificemq́; ad ſacros tutelares confugientem, mani-
bus ſuis prehenſum & captum, ad Imperatorem per-
traxiſſe, memoratur.

A quo

A quo viciſsim, remunerandi beneficij & teſtandæ gratitudinis & beneficentiæ ergò, laudatâ prius pro concione virili ejus operâ, exhibitoq́ virtutis tantæ, ut par erat, teſtimonio, mille octingentorum talentorum precio donatus ſcribitur. Quo audito, Rex Bohemiæ Uratislaus (à quo Uratislavia Sileſiæ maxima & pulcherrima condita, nomenq́ ſortita) ut & ipſe pro parte Imperatori gratificaretur, Viperto ex illa expeditione redeunti, filiam ſuam in matrimonium elocavit, dotemq́ ampliſsimam adjecit.

Ita etiam, quamvis obnitente multorum invidiâ, ad ſummorum Imperatorum & Regum amicitiam hæc familia penetravit, eosque affinitate ſibi devinxit.

Sed illud jam denuò demonſtrandum venit, an Comites Liſnicenſes, itemq́ Ranzovij, ad eandem generationis lineam rectè referantur? quod facillimum erit, ſi cujus ante meminimus, inſignia utriuſque inſpiciamus, quorum parem utrobiq́ ſimilitudinem eſſe, nemo inficiabitur. Præterquam enim quod Liſnicenſes Comites ex dignitatum nova acquiſitione, inſignia aliter atq́ aliter immutârunt: Ea tamen, quæ etiam nunc Ranzovij uſurpant, ſemper retinuerunt, neque poſtremum in clypeis ſuis eis locum aſsignarunt. Sunt autem ea ſcutum oblongum, medio intercurrente lineâ

diviſum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

diviſum, altera croceo, altera verò parte argenteo colore depictum, cum impoſitis ſupra galeam, quam corona tegit, Uri cornibus; quæ omnia præſtantiam, ſimplicem & apertum animi candorem, & virile hujus generis robur præcipuè deſignant. Ranzovij quippe eo virtutum in genere ita ſemper excelluerunt, ut non à parentibus inſtituti, ſed naturâ ipsâ illis imbuti videantur.

Inſuper Generis paritas ex ipſo nomine eluceſcit. Nam Viperti poſteri ad renovandam veterem originis ſuæ gloriam, inter cæteras honorificas appellationes, etiam militares, id eſt, Equites de Ranizove, ut Chronicon Pegavienſis monaſterij a Viperto excitati, aliquoties habet, ſeſe vocari perquam glorioſum ſibi duxerunt, perpetuoq́ titulis illud ſuis aſſcripſerunt. Quod ipſum quoq́ invictum ſententiæ noſtræ tuendæ ac confirmandæ argumentum ſubminiſtrat. Eo præterea in loco Ranzovij Comitum Liſnicenſium congentiles & agnati perſpicuis verbis vocantur.

Denique hiſtoria quendam ex Ranzoviis Schalconem, adducto ſecum filio Ottone, circa annum Chriſti, 1283. ex Tranſalbina Regione, quæ eſt Holſatia, ad congentiles ſuos Liſnicenſes profectum, lautiſſimeq́ per plures dies habitum, cum diſcedens, per ſex menſes apud Imperatorem pro Comitibus irrita exſpe-

ctatione, neſcio cujus rei cauſa, interceſsiſſet, ad propria reverſum; eoſdemq́; fuiſſe majores Viperti bellicoſi, ex Nordalbingia, ut ibi traditur oriundi, & Ottonis, Ranzoviorum in Holſatia reparatoris, multis circumſtantiis fidem veritati aſtruentibus, teſtatur. Qui plura de horum Genealogia ſcire voluerit, ille hiſtoriographorum libros, inprimis Reinec. in annotat. de hiſtor. Viperti com. Groicen. & Petrum Albinum de orig. Ranzoviorum legat, ubi ea, quæ ſtrictim commemoravimus, longo ordine cognoſcet. Sufficit enim mihi digitum ad fontes intendiſſe, & quonam hac viâ reſpiciam, quaſi per cancellos prætereuntibus demonſtraſſe.

His ita explicatis, poſtremò qua de cauſa in Holſatiam ſtirps hæc denuo commigrârit, reſtat, ut paucis expediamus. Moris quondam fuit, quemadmodum & hodie, ut primogenitis ad regnum paternum aditus tantum pateret, reliquis fratribus, ſi qui ſupereſſent, ab Imperij communicatione excluſis, ne vel regnum in plures partes diſtraheretur, vel alia fortè rixandi occaſio quod plerunq; fieri ſolet, inter fratres de partitionis iniquitate oboriretur. Noverant ſcilicet prudentiſſimi viri, hujusmodi odiorum facibus, periculoſiſſima ſæpè incendia excitari. Quare commotum OTTONEM, Henrici II. filium, Viperti nepotem, credibile eſt, ut cum natu major frater Hen-

ricus III. gubernacula ſuſcepiſſet, & annuarij ſtipendij loco, quam generoſo ipſius animo ſufficeret, minus ex reditibus obtuliſſet, aliunde rebus hiſce conſulere cogitaret. Rediens igitur in Holſatiam, cum majorum ſuorum ſedes cultoribus vacuas, aut certè raris inhabitatas reperiſſet, eaſdem occupavit, & ad vetus dominium reduxit. Ranzoviumq́ arcem, ſi hiſtoricis credimus, triplici olim vallo munitam, extruxit.

Ita in duas quaſi claſſes Ranzoviana Familia diviſâ, illa, donec in Hugone ultimo circa annum ſeſquimilleſimū triceſimum octavum expiraret, Miſniam: hæc Cimbriam veterem inhabitavit. Exinde propter multiplices virtutum actiones, & quod multa pro fide, proq́ Reipubl. inculumitate egregiè geſſit, ac quod plurimos tum optimarum literarum, tum rei militaris ſcientiâ præſtantes ex ſe viros progenuit, & quaſi ſeminarium laudatiſſimorum Heroum fuit, qui pro patriæ ſalute nullum neque periculum, neque mortem obire ſunt veriti, hæc familia etiam his in oris magis magisq́ inclareſcere cœpit. Hinc Ranzoviorum toties nomina & inſignia, in omnibus ferè diplomatis, privilegiis, literisq́ vel provinciæ diviſionem, vel ortæ cujuſdam litis tranſactionem ſpectantibus, principum proxima inveniuntur. Hinc Schalconis, qui nepos fuit iſtius, de quo memini Otttonis, clypeus in cœnobio Reniſeldenſi,

Anno ſalutis 1186. *condito propter illam, quam præ
cæteris Holſatiæ nobilibus, habuit claritatem, altero à
Comitum latere, dependet. Hinc eſt ut alia taceam,
quod Albertus Imperator II. Adolpho ex Schauen-
burgenſi familia ultimo, ſocietatis ſuæ ordine, aurea
1439. cruce ſuper Draconem affixâ, donato, eum cum Schac-
cione Equite aurato communicare juſſit. Illuſtre cer-
tè documentum Exiſtimationis & honoris, quo etiam
poſt illam voluntariam prioris dignitatis abnegatio-
nem, nihilominus exteris & ſummis totius orbis Mo-
narchis ob virtutem & magnanimitatem, admiratio-
ni fuerunt. Quam etiam cauſam credo, cur Ran-
zoviorum arma urbis Schleſvigæ inſignibus integre
ſint inſerta & conſociata, nempè ut eo tot heroica
facinora olim ab hac gente contra Vandalos alioſque
publicæ quietis turbatores, tam in urbem illam magni-
fico quondam ſplendore conſpicuam, quam etiam in
univerſam regionem ferro & flammâ graſſantes, pro
re aſſerendâ eâ, quæ majorum ſanguine ſæpius fuſo par-
ta eſſet, libertate perpetrata, vivis veluti in ſpeculo no-
tis expreſſa, ad perpetuam futurorum notitiam tranſ-
mitterentur. Quid jam alios viros fortes, commemo-
rabo, qui partim conſilio, partim agendi induſtria
& dexteritate apud principes viros celebres clarue-
runt? Quid Danielem, quid Balthaſarum Ranzo-*

vium

*zovium referam, quorum ille primarium Regis Da-
niæ Friderici II. copiarum contra Suecum Ductorem:
hic verò Diœceſis Lubecenſis Epiſcopum egit? Qui ut* 1569.
noſtrâ ferè memoriâ vixerunt: ſtares illorum geſtæ ob- 1547.
*ſcuræ vobis eſſe non poſſunt. Et quamvis nemo ferè ex
Ranzoviorum poſteris à majorũ virtute degeneravit:
omnium tamen maximè vir Nobiliſs.* JOHANNES
RANZOVIUS *defuncti hujus, pijſſimæ recorda-
tionis, parens, avorum atavorumque gloriam, rebus
ſtrenuè actis & factis, non ſolum adæquavit, ſed &
longiſſimo intervallo ſuperavit. Vix tredecim annos
is natus puer, nec dum ex Ephœbis egreſſus, ſtimulan-
te generoſiſſimi pectoris impetu, & inſatiabili gloriæ
cupiditate, non quod multi faciunt, ocio ſibi & igna-
viâ, emarceſcendum, ſed ſudore & labore etiam pue-
ritiam ſubigendam, & ad aſperiora militiæ ſtudia
aſſuefaciendam eſſe, exiſtimavit. Quocirca arre-
pto clam Parentibus Equo, in* CAROLI V. *Impe-
ratoris caſtra militatum ivit, ibiq; præclara bellicæ
virtutis fundamenta jecit. Inde ut* Ulyſſis *exemplo
varios variorum hominum mores, ſtudia, & ingenia
exploraret, armatâ item exterorum populorum diſci-
plinâ cognitâ, ea quæ ſibi, magni aliquando Exercitus
Imperatorij, uſu futura eſſent, addiſceret; nihil factu
tam difficile duxit; quod dum diverſas ad Orientem*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

orbis regiones perluſtravit, ingenti animo, quamvis eâ ætate adoleſcens, non libenter perferret.

Itaq; biennio fermè primò Angliam, inde Galliam, Hiſpaniam, Syriam, & quæ Chriſti Servatoris vagitus excepit, Palæſtinam totam peragravit, ibiq; ſuſcepto de more Hyeroſolymis militari Baltheo, Equitis aura-
1519. ti nomen titulumq; eſt conſecutus. Poſt eam peregrinationem, quam periculoſiſſimo, eo nempe tempore, quo Turcicus Solymannus devictâ Ægypto, finem Soltanico Imperio attulit, non ſine vitæ discrimine confecit, Venetias viciſſim appulit, quibus perluſtratis, Romam ſub Leone decimo pervenit. Domum deinde regreſſus, omnium earum, quæ in viro politico requiruntur, rerum ſcientiâ inſtructus, in aula Friderici Holſatiæ ducis filij CHRIſtiani morum inſpector aliquandiu fuit. Cum quo ad Comitia Vormatienſia profectus, quum rediiſſet, univerſam Daniam horrenda Chrieſtierni Regis crudelitate extremè deformatam, eamq; ad arma contra Tyrannum excitatam offendit. Quâ occaſione, ut Daniam fatali illa peſte liberaret, & diſperſas longè lateq; discordiæ faces extingueret, commodum rei benè gerendæ virtutiſque exercendæ tempus adeſſe ratus, Friderici Holſatiæ Principis nomine, quem abſentem, ejecto Chrieſtierno, literis ad ſuſcipiendum Diadema regium Dani hortati fuerant, cum

*delecto ſelectiſsimorum militum flore, properè eo con- 1522.
tendit, & primo ſtatim congreſſu, hoſtibus feliciter ſine multo ſuorum ſanguine proſtratis, Ducibus quoq; ipſorum aut captis aut interemptis, reliquos fugâ diſſipavit, millia multa trucidavit, Hafniam regalem obſidione cinxit, & fame expugnatam ad deditionem coegit, brevique amiſſam regni Daniæ majeſtatem recuperavit.*

Et cum poſt mortem FRIDERICI *iterum rebellionem Dania tentaſſet, eâdem felicitate ejus contumaciam repreſsit, Lubecenſes ejus ſeditionis authores memoranda clade mulctavit, &* CHRISTIano *Regi regnum pacatum tradidit, ipſe autem præſentibus amicis honoris ſui ſpectatoribus, in Holſatia triumphavit.*

*Poſtremò ejus militiæ veniam nactus, patriæ ſuæ amplificandæ cum aliis operam addixit, Dithmarſosq; gentem ferociſsimam & ſuperioribus ſeculis pro invictâ habitam, Friderici 2. Regis & Adolphi Ducis Hol- 1559.
ſatiæ armis ſubegit, fregit, perdomavit.*

Sed quis modus orationis futurus eſſet, ſi omnibus & ſingulis, quæ de Immortali Nobiliſsimi hujus viri laude dici poterant, prolixius immorari vellem? Tanta ſiquidem eſt eorum magnitudo & multitudo, ut neque ſi quis mentiri velit, majora fingere neque

verita-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

veritatem affectans, omnia brevi temporis momento perſequi dicendo poſsit, ſed aut ab ipſo multa, aut ipſum à tempore deſeri, neceſſum erit. Illud ultimo loco nequaquam eſt prætereundum, quod toto vitæ curriculo nunquam adverſam, ſed ſemper conjunctiſsimam uſque ad extremum (quæ rara eſt Ducum fœlicitas) fortunam habuit, eaq́ȝ octies contra hoſtes aperta Martis alea tentatâ, ſemper ſuperior, non numero ſed pugnantium virtute evaſit. Js completis integra corporis valetudine ſeptuaginta tribus annis, & aliquot menſibus, ex hac vita diſcedens, filios duos non divitiarum magis, quam virtutum ſuarum hæredes reliquit. Quorum ille PAULUS RANZOVIUS militiæ ſeveritati: hic verò cujus memoriam funebri hac pompa celebramus, humanioribus ſtudiis addictus, longè pulchriorem de iis præ fratre triumphum egit. Atq́ȝ ille quidem rebus humanis pridem exemptus, quaſi de æternæ vitæ coronâ decertans, fratrem prævenit, ibiq́ȝ eum, ſi quod res eſt, mortui etiam vivorum curâ tanguntur, hucuſque deſideravit, qui modo eidem Immortalitatis viæ inſiſtens, eſt ſecutus, eoq́ȝ virum æternitate digniſsimum perveniſſe, Chriſtianis ſperare fas eſt, ubi cum Parentibus, fratre, & liberis chariſsimis, nunquam ceſſaturâ beatitudine & voluptate perfruitur, mutuâ eorum converſatione ſeſe oblectat,

obleϵtat, colloquio recreat, humana verò omnia contemnit, tantumq́ nos omnes per eandem ſemitam aliquando ſecuturos, lætus expectat.

Jam poſtquam huc velut ex alto appulimus, ad hujus laudes, cujus cauſâ ſuſcepta eſt Oratio, mihi eſt deveniendum.

Natus igitur eſt HENRICUS RANZOVIUS, Anno à Chriſto Saluatore incarnato, milleſimo, quingenteſimo, viceſimo ſexto, II. die Martij, in arce Steinburgo, cujus præfecturam tum temporis Parens ipſius JOHANNES adminiſtravit, matre ANNA WALSTORPIA, quæ poſt parentis mortem ultima hanc etiam Familiam clauſit. Natus eſt autem benigno & amico cœli aſpectu, & conjuratâ quaſi ſalutiferorum Planetarum conjunctione, adeò ut iis in ſumma exaltatione conſtitutis, cùm ea ipſa nativitas in Æquinoctium vernum incidiſſet, peritiſsimi quique Aſtrologorum, non frivolis ejus rei adducti conjecturis, multa miraculoſa de ipſius ingenio prædicerent, & pleraq́ de felicitate & fortuna præſagirent, quæ poſteà Euentus vera eſſe re ipſa comprobavit. Hinc ſtatim ultra primos paulatim infantiæ annos progreſſus, cum iis ſe natum parentibus intelligeret, quos nō nobilitas modo, ſed & excellens generoſæ indo-

lis virtus inde ab initio commendaſſet, eodem ſibi modo annitendum cenſuit, ut Majorum ſuorum gloriam nova laudis acceſſione redderet cumulatiorem. Quamobrem iis ætatem ſtudiis mancipavit, quibus ſive fructum ſequaris, nihil honeſtius, ſive honeſtatem nihil utilius, ſive jucunditatem expetas, nihil ſuavius, ſive magnificentiam reſpicias, nihil pulchrius, nihil denique ad ſtruendam nominis Immortalitatem ſtabilius reperiri poteſt.

Nam quod quidam alterius rei amore capiuntur, & vel mollem ac voluptuariam vitam amplexi, torpore ac deſidiâ molleſcunt, in iiſque juventutis florem conſumunt, vel alij, qui excelſiore ſunt ingenio, ad armorum tractationem appellunt, quorum ſuperius ignominioſum, poſterius verò periculoſum: tantum tamen abeſt, ut Ranzovium illa commoverent, ut & exactâ utriusque conſideratione inſtitutâ, ad continuandum ſemel ſuſceptum laudatiſſimorum ſtudiorum curſum non mediocriter impelleretur.

Antequam tamen longius progrediar, illis reſpondendum cenſeo, qui rei militaris negligentiam in eo reprehendunt. Ex equeſtri enim ordine, tot fortiſſimorum virorum, qui perpetuo in armis vixerunt, serie conſpicuo & claro prognatus, cur à Majorum factis degeneravit, & in delicatioribus iſtis ætatem contrivit, quærunt

quærunt? Nunquam profectò ille extra majorum veſtigia diſceſſit, nunquam militarem diſciplinam repudiavit, ſed contra maximi eam fecit. Id quod tum ejus de belli ſtratagematis Commentarius, non multis ab hinc annis impreſſus, tum armamentarium à patre in arce Breidenbergenſi hæreditariâ inchoatum, ab ipſo poſtea inſigni indies bellicorum inſtrumentorum apparatu & ſuppellectile locupletatum, abunde teſtatum reddunt. An igitur, qui manu à pugna feriatur, miles non habebitur? an qui chordis non ubique oberrat, illum Cytharædum non eſſe nobis perſuademus? Et ut viciſſim mihi quærere ſit integrum, an minus ad bellum ſubſidij confert, qui commodas ejus gerendi regulas præſcribit, quã qui omnia ex libidine ſua in eo disponens, in extremum ſæpè milites diſcrimen adducit? Quod ſi illud temerè non negandum quiſpiam aſſeverabit, neque Ranzovium, propterea quod in armis rarò (ſemel id namque in expeditione contra Dithmarſos factum legi) ſe exercuit, adminiſtrandæ rei bellicæ ignarum fuiſſe, credendum erit. Quomodo enim aliàs in illis congerendis præceptis utiliter verſari potuiſſet? Quomodo aliis viam Neapolim monſtrabit, qui ipſe viam neque unquam novit, neq; urbem illam vidit? Quomodo aliis canendi artificium tradet, qui ipſe Muſicam ne obiter quidem ſalutavit?

Quocirca maximam ejus peritiam ipſum habuiſſe, cum ea de bello conſilia conſcribenda aggrederetur, veritas evincit. Vacandum autem politioribus diſciplinis iccircò ſtatuit, ut ex illis præter varios belli gerendi mores, etiam eorum, quæ de Reipubl. tranquillitate tuenda & conſervanda ſuppeditant, præceptorum, cognitionem ſibi compararet. Etenim non ſibi, ſed patriæ, ſed communi hominum ſaluti, ſed Civibus, ſed amicis ſe ſuis potiſsimè natum ſciebat. Quorum omnium communio & ſocietas, ut pacis vinculo firmiſsimè continetur, bello autem facillimè diſſolvitur: Ita eam ſemper optandam: hoc verò non temerè, neque niſi extremâ urgente neceſsitate accerſendum, imo etjam iniquiſsimam pacem incerto bello præferendam eſſe, ſuadebat. Iccircò aliud nihil iſto opere ſuo egit, quā ut metas defigeret, intra quas armata illa ſeſe libido coherceret, ne vel iis tranſgreſsis, licenter quidvis ageret, vel neglectis, ſuæ hoſtibus inertiæ pœnam daret. Inprimis in eo totus fuit, ut Rempublicam extra belli & armorum confinia, quæ non conſtruunt, ſed deſtruunt conſtitutas bonis legibus politias, tutam, populos autem ſuæ curæ commiſſos, à civili ſanguine innoxios ſervaret. Nunquid hoc non eſt in medium conſulere, patriam ſalubri conſilio obſepire, privatorum opes cuſtodire, ſuas ab injuria immunes conſervare, gloriam

deniq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

deniq; ex literis quam ex armis ſplendidiorem reportare? Quippè illud longo Experientiæ uſu veriſsimum beatiſsimus Heros didicerat, quod Poeta ait:

--Pax optima rerum
Quas homini noviſſe datum eſt, pax una triumphis
Innumeris potior---

Obmuteſcunt namq; inter Martios clangores jura, quibus civilis hominum ſocietas regitur, ſilent leges, Muſæ ſqualidæ et ſordidæ jacent, literarum ſtudia torpent: Contra Tyrannis Imperium invadit, ſuprema infimis commiſcet, & horrendâ rerum omnium confuſione publicam & privatam tranquillitatem perturbat & devaſtat. Et quisquam adhuc eſt, qui armorum magis quam literarum gloriâ delectetur? Quis ſanæ mentis non eam potius conſectandam judicabit, quæ dulci irrigata quiete amœnitatis eſt plenisſima, quam quæ cruore & tabo oblita, multorum etjam in acie opinionem fefellit. Non enim rarò qui aliorum morte eam ſibi gloriam emere voluit, priuſquam eâ potiretur, ſuæ ipſius vitæ dispendio alterius gloriæ ceſsit. Jnterim dum hæc apud vos dico, nihil quicquam de fortium virorum laude detractum aut imminutum volo, omni multò magis conatu doctiſsimis quibuscunque elaborandum cenſeo, ut quod inter

primaria ſtudiorum noſtrorum, quæ in vitam emanant, bona numeratur, glorioſa talium virorum facinora, ipſorum ope & opera, æternæ poſterorum memoriæ conſecrentur. Sed ſi quis tamen animo ſecum volvat, quæ ſit ejus hominis vita, qui in literarum ocio molliter ac placidè conſeneſcit, & illius, qui verſandis armis, ab infantia uſque aſſuetus, ſub dio ſæpius quam ſub tecto, ſub tentoriis ſæpius quam paternis ædibus requiem capit, non diu in alterutro deligendo hærebit. Nihil profecto in armis jucundum, nihil delectationi aptum: In literis verò omnia ſumma: omnia quæ ad voluptatem pertinent, copioſa. Illorum non niſi in bello: harum et belli & pacis tempore uſus cum primis eſt frugiferus & ſalutaris. Quamobrem alterius aures tubarum lituorumq; ſtrepitus circumſonet, alterius verò animum Muſarum concentus & ſuaviſsima ſtudiorum oblectatio permulceat. Illius oculi cædibus, rapinis, incendiis: hujus admirabilium naturæ operum contemplatione paſcuntur. Ille aut in ipſis adoleſcentiæ annis belli violentia abſumitur, aut domum rediens, multis faciem vulneribus deformatam oſtendit: hic & corporis & animi viribus integer, eundem ſemper vultum, niſi quantum anni & cani inde decerpunt, ad extremam uſque ſenectutem profert agnoſcendum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

Verùm unde digreſſa eſt Oratio, revertatur. Jactis feliciter domi bonarum artium fundamentis, in quibus mirâ quadam ingenij celeritate Ranzovius ita profecit, ut in infantili iſtâ ætate ſenilem ejus prudentiam, & exquiſitam doctrinam omnes admirarentur, non diutius ſibi inter privatos parietes ſibi deliteſcendum, ſed in doctiſsimorum hominum lucem progrediendum eſſe arbitratus, Vitæbergam, ea tempeſtate, propter ſtudiorum & Studioſorum fertilitatem celeberrimam conceſsit. In qua cum ſe erga quoſcunq́; morum elegantia & ſuavitate geſsit, ut tanquam ſingulare priſcæ nobilitatis ornamentum alij in oculis ipſum ferrent, ejus exemplo ſuos etiam mores componerent, cæteraſq́; honeſtæ vitæ partes infirmarent. Nemini adverſabatur, æqualibus ſe non anteponebat, Superiorum opinionem de Ingenij ſui modeſtiâ conceptam officiorum multitudine confirmabat, inferiorum autem erga ſe ſtudium & benevolentiam majori multò obſequio, gratificandi liberalitate & comitate vincebat. Sic factum, ut quamdiu ibi viveret, his ſemper gratus, illis commendatus, utriſque verò acceptus haberetur. Præcipuè Luthero, cujus menſa, familiari conſuetudine, & quod non in poſtrema felicitatis parte ponendum, beatiſsimis ſermonibus melior quotidie evaſit, ſummè charus fuit. Qua rurſum diſcedens, cum ADOLPHO

Holſa-

Holſatiæ Duce in Caroli V. Cæſaris aulam venit, in eaq́; aliquandiu commoratus, non Germanorum modo, ſed & Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, aliorumq́; exterorum, qui frequentes Imperatori aderant, favorem & benevolentiam ſibi conciliavit, & inde uſque ſatis firmiter conſervavit.

Secutum eſt poſtea tempus illud, ipſa etiam cogitatione horrendum, quo cum toto terrarum orbe omnia bello flagrarent, & tum Cæſar, tum reliqui Germaniæ Principes confœderati, in mutuum interitũ ruentes non mediocrem vicinis inferrent timorem, ne latius proſerpendo, ſuos etiam illud incendium fines invaderet, maturè de eo tollendo conſultandum ſtatuerunt. Quapropter CHRISTIANUS tertius rex Daniæ, qui quantum Ranzovius noſter induſtriâ ſuâ valeret, non ignorabat, ipſum paulò ante ex aula Imperatoriâ revocatum, multisq́; honorum inſignibus ornatum, primò in arcanum Ducatus Holſatiæ conſilium adſciſcit, deinde Segebergenſem præfecturam, poſtremò totam illam Holſatiæ partem, quæ ei ex paternâ hæreditate obvenerat, ejus fidei committit gubernandam. Qui licet diu multumq́; (qua ſemper fuit modeſtia) reluctaretur, illosq́; ad ſe delatos honores, quibus ſe indignum, & alij imò Principi cuidam magis quam ſibi convenire judicabat, aliquoties recuſaret;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

ret: tandem tamen, ne optimæ Regis voluntati & ſuffragantium authoritati pertinacius reſiſtere videretur, aliorum & admonitionibus & objurgationibus ceſſit, eamq́ in ſe curam multò difficillimam recepit. Ab eo tempore regnum Daniæ Holſatiæq́ populi, tum bellicoſâ JOHANNIS RANZOVII *parentis fortitudine, tum invicta filij paternæ virtutis æmuli, prudentia & conſilio, quaſi duplici undiquaque vallo communiti, à diuturnis malis aliquantum revaleſcere, & temporis ſucceſſu ſuperbas hoſtium minas forti animo contemnere cœperunt. Omnia circum tuta, omnia pacata erant, nemo inſidias, nemo hoſtes metuebat.*

Quin contra hoſtes inſolentiſſimi, qui omnem latè Cimbrorum regionem plus quam Panico terrore antè repleverant, ad unum jam Ranzovianorum nomen contremiſcebant. Tanti refert, quem quælibet Reſpublica fortunæ ſuæ moderatorem ſortiatur, qui velut ad clavum aſſidens authoritate ſua ſubditos in officio retinere, leviſſimoq́ nutu quidvis imperare, & ſimul hoſtium audaciam infringere, ſuorum verò fiduciam eo ipſo augere poſſit. Qualem ſe Holſatia quidem, cum Ranzovius ejus faſces ſuſciperet, adeptam eſſe, meritò poterat gloriari. Cum enim eo ſe loco conſtitutum ſciret, in quo ceu fulgentiſſimo Solis theatro plurimos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

ſuarum actionum haberet inſpectores; ita ſibi in eo verſandum ſtatuit, ut non ſolum nihil committeret, quod reprehenſioni fortè amicorum pateret, ſed etiam cuncta ſic ageret, ut invidorum etiam æmulatio illa rectè facta comprobaret.

Memorabile hac de re eſt ipſius dictum per quam ingenioſum, qui cum exquereretur, quomodo trium potentiſſimorum Daniæ Regum gratiam & benévolentiam, per tot annos integram conſervaſſet, & malevolorum invidiam declinaſſet, reſpondiſſe fertur. Benè agendo & rectè conſulendo. *Acutum ſanè reſponſum, & à magnanimo viro profectum! Nam teſtes vos voco, quid ille egit, quod non etiam benè actum eſſe; quod ille conſuluit, quod non ſimul rectè conſultum omnes ſtatim faterentur? Benè quidem per omnem vitam egit, eo tamen diſcrimine potiſſimum, quo cum Fridericus Daniæ Rex laudatiſſimus, bello primùm Dithmarſico, deinde Suecico implicatus, rerum Holſaticarum curam, multò quam antè majorem ei commendaret, RANZOVIUS noſter benè agendi facultate tantum perfecit, ut non modo nulla vis ab externo milite his locis inferretur, ſed ne quis motus omninò exaudiretur. Benè agendo ſubditorum ſibi amorem maximè conciliavit, peſſimorum hominum inſidias, quas vitæ & famæ ſuæ ſtructas videbat, avertit, ſcelera eradi-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

cavit, fibras elidit, radices deniq; illorum funditus eradicavit. Benè agendo deniq; Rempub. multiplici ſuperiorum temporum clade afflictam, in priſtinam libertatem repoſuit, & benè ad extremum agendo, omni civili ſeditione vacuum, tranquillum & pace florentiſsimum reliquit. Senatoriæ igitur dignitatis Daniæ Reges illi dederunt negocium, reddidit ille ocium, communicarunt illi regni adminiſtrandi ſocietatem, & ipſe derivatâ in ſe multo maximâ laborum parte, reſtituit illis quietem. In quo ut virtutem & vigilantiam ipſius admiremur oportet. Vigilavit ille hactenus, pro Regum, pro Principum, pro patriæ, pro omnium & ſingulorum ſalute; vigilando porrò beneq; conſulendo, Regum, Principum, omnium & ſingulorum ſalutem mirum in modum adauxit.

Benè conſulendo, periculoſa non inter plebejos tantum & ſubditos, ſed & inter Nobiles, Principes & Reges diſsidia, querelas, graviſsimas contentiones, diremit, ſuſtulit, ſepelivit. Benè conſulendo, tot Dithmarſorum millibus captis jam et neci deſtinatis, vitam à Friderico II. Rege & Adolpho Duce impetravit. Benè conſulendo unà præſentibus aliis Maximiliani Imperatoris, Regum, Electorum, Principum & confœderatarum Civitatum legatis, cum aliquoties inſtitutâ pacificationis formulâ, inter eos non conveniſſet,

tandem facundia ſua, qua eruditiſſimis noſtri ſeculi Oratoribus Eloquentiæ palmam præripuit, unus ferè effecit, ut depoſitis, quibus per integrum ſeptennium Daniæ & Sueciæ Reges, ſe mutuò perſecuti fuerant, armis ad Concordiam denuò redirent, & pax bello hactenus acquiſita, utrique regno ſalutari ſydere illuceſceret, ac percuſſo, quod Ranzovius Regis ſui nomine etiam obſignavit, fœdere, in æternum ſanciretur. Benè conſulendo, acerrimam, multis ab hinc annis inter Reges Daniæ & Duces Holſatiæ tam de Ducatu Schleſvicenſi, quam de bonis & provinciis Johannis Holſatiæ Ducis, cognomine Senioris, patruelis & agnati, herciscundis, controverſiam, ſine armis, ſine cædibus, in Comitiis Flensburgenſibus penitus conſopivit, partesq; litigantes ita dimiſit, ut ultrà, quam ſperaſſent, ſatis ſibi factum teſtarentur. Benè conſulendo multas inter vicinos Schauenburgenſes Comites, Epiſcopos Bremenſes, Holſatiæ Principes & alios de finibus regendis ortas altercationes placidè compoſuit, & tandem, quæ gratia plerumq; bonis rependi ſolet, benè conſulendo in poſtremo conventu Flensburgenſi, cum ad præſtandum ſereniſſimo Daniæ Regi CHRISTIANO IV. homagium, nobiles reliquos hortaretur, quod & æquum eſſe agnoſceret, parsq; major ſententiam ejus non improbaret, multorum in ſe odium concitauit.

Quo nihil territus, ſed cautior quaſi factus, magis pro Reipublicæ incolumitate invigilare cœpit, nihilq́; adverſariorum potentiam reformidavit, nihil ſibi, nihil favori, nihil privatæ aliorum utilitati dedit, ſed omnia ad honeſtatis Cenſuram accommodavit, eamq́; vitæ ſuæ totius normam eſſe voluit.

Commendant veterum Romanorum hiſtoriæ Catones, Æmilios, Fabricios & Scipiones ſuos, qui multa Reipub. cauſâ bello & pace utiliter egerunt, quæ tamen omnia ſi cum Ranzovij rebus, pro patria fortiter geſtis conferantur, ceu tenebræ ad lumen collata eveſtigiò diſparebunt. Illos Patrum inſtituta, temporum ordo, Reipub. conſtitutio, approbata omnium voluntas ad ea acquirenda plurimum adjuverunt: hunc ſola virtus, ſolum honeſtatis ſtudium, ſolus boni publici amor ad eam dignitatem provexit, in qua ſupra quadraginta annos laudabiliter eſt verſatus. Illi laborum ſuorum ſocios, officiorum Collegas, quibus cum de rerum ſumma conſultarent, ipſorumq́; ope quoties neceſſitas flagitavit, onera communia conjunctim perferrent, frequentes habebant: hic neminem, ſolus â ſuo conſilio pendebat, ſua ratione non abſq́; ratione nitebatur, et quod difficillimum, uno eodemq́; tempore, de grauiſſimis ſæpe Reipublicæ negocijs ei delibe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

randum, & conſilium petentibus, reſponſum minimè quidem dubium, ſed tamen extemporaneum dandum erat.

In tanta occupationum mole, qua die noctéq; aſſiduè premebatur, mirum quomodo tanto oneri ſufficere potuerit? Sufficiebat tamen & quod admiratione dignum, plerunque poſt disceptatam ſecum cauſam, & conſtitutam, quam ferre volebat, ſententiam, ad lites etiam civiles audiendas & componendas alacrior accedebat. In eo verò toto ſtudium ejus conſumebatur, ut oppreſſis & innocentibus opem ferret, ſceleratos autem merito ſupplicio afficeret, ſeditiones tolleret, & pacatam undiquaque provinciam præſtaret. Quod ut felici ſucceſſu voto ſuo reſponderet, nullam ferè ad vacandum rebus aliis à ſeipſo requiem potuit impetrare, ſed & ſingulis noctibus ſurgens, peritiſſimorum virorum de Republicâ rectè adminiſtrandâ libros vel legebat ipſe, vel à miniſtris, quos plerumque doctiores circum ſe habuit, ſibi prælegi, indeque locos inſigniores excerpi volebat. Imitatus in eo Themiſtoclem prudentiſſimum Athenienſium Imperatorem, qui ideo ſe noctu ſomnum remittere & vigilare dixit, ut cives ſui ſecurè dormirent. Noverat quoque ab Homero viro politico, publica adminiſtranti interdictum eſſe, ne

in-

in lucem uſque ſomno indulgeret. Manè & interdiu deinde cauſas cognoſcebat, & ſi qua difficilior actio, temporis moram interponebat. Sciebat namq; veriſsime dictũ, Conſultorum temeritate maxima ſæpè rerum momenta everti. *Non autem, quod multi, proh dolor, neſcio quos ſanctiſsimæ & incorruptæ ſeveritatis titulos ambientes facere conſueuerunt, prætextatam Aſtreæ virginitatem pecuniâ corrumpi, neq; precio leges figi atq; refigi ſuſtinebat. Adeò, ut illud Imperatoris: Citius Solem à curſu, quàm Ranzovium à Juſtitiæ tramite revocari potuiſſe, rectiſsimè ad ipſum referatur.*

Hinc qui cauſæ cognitionem petebant, magna quotidie frequentiâ aderant, negocia ipſo præſente explicabant, & commodo ſemper accepto reſponſo diſcedebant. Ea præterea Ingenij modeſtia fuit, ut, licet eo honoris faſtigio conſtitutus, non nimis altè de ſe ſentiret, non ſupra reliquorum ſe hominum ſortem efferret: Ea etiam manſuetudine, ut neminem, quicunque tandem eſſet, aſpectu & familiari Colloquio arceret, neminem inſalutatum præteriret, ſed tam infimæ quam ſupremæ Conditionis homines ad compellandum ſe admitteret, miſerorum querelas audiret,

peregrinorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

peregrinorum poſtulata cognoſceret, nihil juſta petentibus denegaret, & ſi quid, vel propter difficultatem vel publicæ rei incommodum, denegandum erat, ita tamen negabat, ut eos ipſos, quibus negabat, æquos à ſe placatosq; dimittere videretur.

A prandio deinde ſereno Jove, animi defatigati non nihil relaxandi gratia, in nemora ſecedens, venationi inſiſtebat, ſic tamen, ut ſi tantum quavis hora Clientum turbam circa currum querimoniis obſtrepentem vidiſſes, an in Curia num in ſylvis verſaretur, planè dubitaſſes. Parcior nihilominus in hoc exercitio fuit, & non niſi provectiori ætatis ſenio, quo afflictæ corporis valetudini & languori eſt conſulendum largius aliquanto indulſit. Huc accedebat cura & diligentia ejus in extruendis & reparandis de novo peregrinarum arborum ſeminariis, variis ac diverſicoloribus foliis & fructibus elegantiſſimis, in quibus magnorum Imperatorum & Regum exemplo ſeſe non rarò oblectavit, & aut nova ſemina manu ſua terris ſubigendo, aut ſtolones vitioſaq; ſarmenta reſecando, aut ſteriles annisq; effœtas truncando, generoſioremq; aliis ſobolem inſerendo, aut ſurculis deniq; teneram pravamq; ætatem, ad proceram & decoram rectitudinem aſſuefaciendo, diem ocioſum ſæpè abſumpſit, & in his omnibus admirandæ naturæ & divinæ benignitatis

opera

ſummoperè celebravit, cæteroquin ad ſolita ſtudia & Muſas ſuas rediens, non prius, quam ſomno opprimeretur, ab iis ſe ſubduxit. Multa hoc loco properanti mihi neceſſariò ſunt relinquenda, qualia ſunt privata ejus in Rempubl. merita, honorificæ item aliæ ejus legationes, quas Regum ſuorum nomine, per hoſce quadraginta annos obivit, in quibus omnibus ſingularem ſuam prudentiam expreſſit, & juxta votum ſemper demandata ſibi negocia fortunâ ſucceſſum nunquam fallente adminiſtravit.

Ob quam ſtudioſam ejus de patria & bonis quibuscunque benemerendi voluntatem eos viciſſim conſecutus eſt honores quos ne majores quidem ſperando optare potuiſſet. Nam omni neceſſitudine & familiaritate adeò conjunctum ſibi Ranzovium, FRIDERICUS II. sereniſſimæ memoriæ habuit, ut nihil neque agendum neque ſuſcipiendum ſtatueret, in quo non Ranzovium prius audiendum cenſeret; in officio verò nihil prætermitteret, quo ſuum erga illum favorem regium declaret. Et ut illud aliis etiam, qui Ranzovianæ felicitati invidebant, innoteſceret, præter cæteras animi benevoli ſignificationes, eum naſcenti primogenito Chriſtiano, ſacri baptiſmi teſtem & ſponſorem adhibuit, ac tanto Rege digno apparatu exceptum, in regni

 ſui

ſui ordinem cooptavit, ejusq́; rei confirmandæ causâ, Cathenam auream cum effigie ſua, & ordinis ejuſdem inſignibus, quæ ſunt Elephas, turrim undiq; ſcutatam tergo ſuſtinens, donavit.

Neque quamdiu Rex feliciſſimus in vivis fuit, quicquam de veteri erga Ranzovium amore detraxit, neq́; vel leviter animum ab ipſo unquam abalienavit. Cui viciſſim per omnem vitam, & inprimis difficillimis iſtis bellorum temporibus, quo plurimi, & in his primæ Nobilitatis viri, fortunam priùs Regiam ſecuti, eâ nonnihil titubante, à fide contra fidem deſciverunt, conſtantiſſimè adhæſit, ejuſque hinc diſceſſum, graviſſimè, ut debuit, tulit, ac monumento pulcherrimo prope Segebergam extructo, quantum optimo Regi deberet, teſtatum poſteris ſuis reliquit. Mortuo deinde FRIDERICO, filius ejus hodie feliciſſimè regnans, CHRISTIANUS Quartus, & ne ipſe in remunerandis, quæ Patri præſtita à fideliſſimo viro cognoverat, officiis ſegnior, aut patre inferior judicaretur, non ſolum veterem ab avo ſuo his in locis dignitatem ei conceſſam prorogavit, literisque primâ ſtatim vice amiciſſimè ſcriptis commendavit, ſed & exhibitis iiſdem regni ſui inſignibus eam auxit, atque ita Patri non Imperio tantùm, verùm etiam in amore erga Ranzovium ejuſque liberos, familiari quadam contentione,

par ſemper, imò & ſuperior voluit haberi. Id quod plurimis Clementiſſimæ voluntatis argumentis tùm aliàs, quum à prima mox infantia, vivo adhuc patre, poſteà ſuſceptis Regni gubernaculis, ei præſenti, venerabiliter aſſurgeret, prolixe: tum audito ipſius obitu, quàm carè hunc virum habuiſſet, quamq́ ægrè eum amiſiſſet, multis ſuſpiriis, & denuò honorificentiſſima legatione, in poſtremo hoc actu ſatis declaravit.

His aliisq́ commotus etiam Illuſtriſſimus Brandenburgenſis Elector, ſuperiori anno itidem vitâ pie defunctus, inter reliquos principes viros ſimiliter Ranzovium filio Friderico ſanctorum fœderi per Baptiſmum initiando, Compatrem delegit, magnique precij aurea torque, gemmis vermiculato opere artificioſe variegatâ honoravit. Exemplo hujus alij etiam per Europam Reges & Principes, Clariſſimique viri, Ranzovij commendationem, miſſis eâ de re honorariis ſæpè donis, plurimi fecerunt, dignum eum exiſtimantes, quo cum aliquam neceſſitudinem contraherent, quamq́ deinceps literis ultrò citròq́ ſcriptis ſtabilirent. Quod certè ex Imperatoris RUDOLPHI, Stephani Poloniæ, HENrici II. & III. Galliæ & Navarræ Regum: Eliſabethæ Reginæ Angliæ: ERNESTI Archiepiſcopi Colonienſis, AUGUSTI Saxoniæ,

& Joachimi Friderici Brandenburgici Electoris, Ferdinandi & Erneſti Archiducum Auſtriæ, Julij Ducis Brunſuicenſis, & filij Henrici Julij Epiſcopi Halberſtadenſis, Guielhelmi Haſsiæ Landgravij, Erneſti & Auguſti Luneburgenſium, Philippi & Adolphi Holſatiæ Ducum, Bugislai ac Philippi Pomeraniæ: Franciſci inferioris Saxoniæ Ducis, Chriſtiani Anhaltini, Ottonis Brunſuicenſis, Ferdinandi Magni Ducis Florentiæ, Ferdinandi Ducis Albæ, Alexandri Farneſij, Mauritij Aurantiæ Principis, Caroli Arenburgici, Johannis Oldenburgici, & Adolphi Schauenburgici Comitis, ut plures omittam, epiſtolis, nil niſi clementiam, nil niſi benevolentiam ſpirantibus, apertè conſtat. Jllorum adhuc quidam ad ſignificandum ſuam triſtitiam & mœrorem ex Illuſtris hujus viri obitu conceptum, viros hoſce nobiles atra veſte obvolutos, exequiis hiſce deducendis intereſſe voluerunt.

Sed quanta ſubditorum & peregrinorum porrò erga Ranzovium fuerit reverentia, videamus.

Certè ea, ut mox ab initio eum non Magiſtratum, ſed Parentem totius Cimbriæ ſuſpicerent, ſuam ipſi ſalutem, ſuas fortunas, ſuos liberos crederent Peregrini verò ejus ſe protectioni committerent, ad eum tanquam firmiſsimæ ſpei & auxilij aſylum confugerent, ipſum unum amarent, colerent, & de induſtria ſua

quaſi

quaſi alter cum altero decertantes, omnia gratitudinis officia ei copioſę exhiberent. Quinimò divinæ Ranzovij virtutes longè lateq; per univerſum mundum diſſeminatæ, tantum in plerorumque exterorum animis, viri illius, de quo hæc tanta ferebantur, videndi deſiderium excitaverant, ut alicujus nominis viri per has regiones iter facturi, eum minimè prætereundum putarēt, neque ſe Holſatiam vidiſſe, multò verò minus iter ſibi ex ſententia fortunatum iri crederent, niſi ipſum acceſſiſſent, quos etiam ad ſe venientes, ſplendidè ſatis, ut cujusq; meruit virtus, accepit, & acceptos honorificè rurſum dimittens, illos in via etiam quacunq; potuit re lubens adjuvit.

Nunc quoniam de publicis ejus negociis & honoribus multa ſatis diximus, ordo requirit, ut ad ea, quæ domeſticam ejus tam adverſam quam ſecundam concernunt fortunam, pergamus, de qua ubi neceſſaria tantum annotavero, compreſſis velis portum intrabo.

Interea, quæ privatam ejus felicitatem commendant, primo loco Conjugium, quod auſpicatiſſimum & liberorum procreatione fertiliſſimum fuit, meritò numeratur. Conjugem liberali muliebris ingenij cultu, iisq; dotibus, quæ fœminam nobilem ornant, ut ſunt, pudor, modeſtia, pietas, ſyncerus & conſtans erga ma-

ritum amor, & ſi quæ alia, de Parentum conſilio, eam ſibi Juvenis thori conſortem aſſcivit, quæ paucas ea ſeneſcentis virtutis tempeſtate ſimiles ſui habuit, Chriſtinam ab Halle, Franciſci, viri Nobilis & Equitis Brunſvicenſis, filiam: *Cum qua præter arces & prædia, quater centum millia joachimicorum in dotem accepit. Quanquam igitur hoc nomine Conjugium ejus ſit beatum, multò tamen propter fœcunditatem felicius eſt exiſtimandum. Liberos autem maſculo vigore & robore, formæq; venuſtate duodecim, filios quidem ſeptem, fœmellas verò quatuor ex ea ſuſcepit.*

Qui ut diverſo tempore: Ita diverſo planè ingenio fuêre nati. Quidam enim militaris vitæ rigorem amplexi, in caſtris ætatem exegerunt. Quidam peregrinationis amore incenſi, in exteras longeq; hinc remotas orbis regiones, ad cognoſcendos more avorum ſuorum, hominum ab inſtitutis noſtris diſcrepantium peculiares ritus, linguas, urbium, arcium & regnorum ſitus, abierunt. Inter quos GERHARDUS *Ranzovius, Chriſtiani IV. Daniæ Regis Conſiliarius, anteà Coronoburgæ ad maris Balthici oſtium, nunc Haderslebiæ arcis præfectus, ſuſcepto per Germaniam, Hungariam & Daciam itinere Conſtantinopolim, hinc in terram ſanctam, primisq; habitata parentibus arva penetravit, ibiq; luſtratis ſingulis, navi Cyprum*

primo nobiliſsimam ejus Regni, proh & hodie Turcico jugo gementem, inde Rhodo, Euboea inſulis, plurimisq́; aliis præternavigatis, mare Adriaticum ingreſſus, Venetias, ex iis in Italiam venit, quâ visâ, ſuperatis perpetuo gelu rigentibus Pyrenæi montibus, Galliam & Hiſpaniam, poſtremò Angliam non longo emenſus ſpacio, ſoſpes quidem, ſed tamen mille periclis

Iactatus terris pariter, jactatus & alto
Æquore-----

magno gratulantium amicorum & Parentum gaudio in patriam redijt. Quidam denique, Muſis nomina dederunt, & optimarum artium ſtudiis non in Germania ſolùm, ſed & in Belgio & Gallia operam & laborem impenderunt, ubi FRANCISCUS Lovanij, cum fratre Mauritij Orangiæ Principis comprehenſus & Antuerpiam abſtractus, cognito, quod RANZOVII filius eſſet, eodem remiſſus fuit, ſtipendiumq́; ei ex aula decretum: BREIDO verò incruentis Nauarræi nuptiis imminenti mortis periculo ægrè ſe ſubduxit. Fraternam tamen omnes conjunctionem amore, obſequio, & mutuo gratificandi ſtudio erga ſe invicem declararunt, in eoque convenerunt, quod ex æquo linguarum peregrinarum cognitione flagrarunt, quo id ſunt conſecuti, ut illi omnes, qui in hunc uſq́; diem ſuperſtites vivunt, latinè,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

Gallicè, Italicè, & Danicè non tantum ſcribant, ſed & quoties volunt, expeditè loquantur. Quantum lætitiæ ex hac filiorum meſſe parentes perceperint, cogitabunt ij, qui ſimilibus ſuos liberos honoribus aliquando claros optant.

Sed ut nihil in rebus humanis ſtabile eſt & firmum: Ita & hoc ipſorum gaudium non fuit perenne aut diuturnum. Nam brevi poſt parvo intervallo quatuor ex his amiſit. Quorum obitum eò gravius tulit, quo magis iniquiore mortis genere abſumpti, et lõgè extra patriam aliena terrâ conditi, patrium deſiderium excitârunt. Nam FRIDERICUS Henrici III. Galliæ regis auſpicia ſecutus, non in acie, ſed quod miſerius eſt, manè inſciis miniſtris, unoq; tantũ aſſumpto puero undecenni, ex more venatum abiens, in fœdo latrocinantium ſpecu, ſicariorum manibus infelix juvenis perijt. JOHANNES, qui cum Holſatiæ Ducibus ſub Antonio Cautio Heidelbergæ literis operam navabat, acutâ febri extinctus, ibidem requieſcit. THEODORUS, Cathedrali juxta altare templo conditus, propius aliquanto, Lubecæ expiravit. CAIUS, verò acerrimi ingenij juvenis, JOHannis ADOLphi Holſatiæ Ducis Conſiliarius, poſtquam non multo antè in obeunda Regis Friderici II. juſſu ad Ducem Parmenſem legatione, in Belgio captus, & denuo interven-

tu

tu ejuſdem Regis qui hanc etiam irrogatam Legato ſuo injuriam, inſigni triginta millium thalerorum mulctæ vindicavit, ex qua magna pars, decem nempe millia Cajo ex donatione ceſſit) interventu dimiſſus, eoque mortuo, à Chriſtiano filio Reginæ ſorori ſuæ Eliſabethæ, Henrico Julio Duci Brunſvicenſi & Lunæburgenſi nuptæ, eò deducendæ, honoris causâ adjunctus fuiſſet, domum rediturus, in itinere lentam tabem contraxit, breviq́; poſt Bredenbergæ in amplexu mœſtiſſimi parentis deceſſit, & ſolus ex omnibus Ranzovij filijs in paterno & avito tumulo ſepulturæ mandatus, noviſſimam cum eo corporis reſurrectionem expectat. Reliqui filij: qui etiamnum ſuperſtites DEI beneficio, Regis in Dania officiis ampliſſimis perfunguntur, quoniam eâ modeſtiâ ſunt, ut vivi in os laudari nolint, eorum laudibus, quæ permagnæ ſunt, neque tam ſterile & mœſtum dicendi genus requirunt, abſtinebo.

Ad filias me converto, quas tenerâ ætate inter domeſticas operas & curas à Matre educatas, & iis in rebus, quæ ad rem familiarem adminiſtrandam pertinent, inſtitutas, verâ ſimul pietate & timore DEI imbui, ſedulò Parens curavit. Ordine dein omnes, præter unam, quæ Cajo Ranzovio nupſit, Nobiliſſimis & Clariſſimis viris cognatis Alefeldiis, Ducatus Holſatiæ Conſiliariis & præfectis, inuſitatâ his in locis do-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

te, elocavit; ex quibus liberis ſuis, tàm filiabus quam filijs, nepotes & neptes, ad præſens uſq; incolumes vidit quatuor & viginti, quorum ſingulis etiam non ita pridem, perpetuæ recordationis munus, Effigiem ſuam auream, cum inſcriptione nominis & annorum annotatione cuſtodiendam dedit. Ex his una, nempe CATHARINA, ante decennium, eodem anno, quo rex Fridericus II. & frater ejuſdem nominis in Gallia obijt, vitam cum morte commutavit.

Præter felix & fortunatum hoc Conjugij ſui auſpicium (ſi tamen, tantis calamitatibus circumſeptum, uſquequaque fortunatum eſt appellandum) duabus alijs rebus celeberrimam & nunquam ſatis commendatam æterni nominis ſui exiſtimationem ad extremos orbis terrarum angulos propagavit, minimæq; interituræ famæ memoriam, apud quoſcunque omnium regionum viros Illuſtres et literatos, ſibi comparavit, Eruditione *nimirùm &* Liberalitate. *Quibus duobus avorum ſuorum gloriam, ſi non ſuperavit, certè æquavit, priori autem omninò vicit. Nam quid de Eruditione ipſius, quid de Ingenio dicam? quid adeò obſcurum aut à naturâ involutum fuit, quod non admirabili quadam ſagacitate ſtatim perveſtigaret, cujus cauſas ex arcanis ipſius rei viſceribus non ſtatim erueret?*

Memoriæ autem bonitate eâ viguit, ut quæcunque

legeret

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

legeret, facilè comprehenderet, & eo, quo legerat ordine, rurſum referret. Cujus rei, jam tum ſeptuagenarius, ſæpè periculum fecit. Quotidiè optimorum Authorum libros evolvebat, neque nocte etiam eam curam remittebat. Quoties à publicarum rerum mole reſpirandi copia dabatur, Bibliothecam ſuam, quam eum in uſum præſtantiſſimorum omnis generis Scriptorum libris inſtructiſſimam, aliâ item peregrinâ preciosâ ſuppellectile ad miraculum uſq; ſplendidiſſimam Breidenbergæ conſtituerat, ingreſſus, eâ quam Muſæ ſuppeditant, voluptate ægritudinis ſuæ moleſtiam abſtergebat, mentem reficiebat, eumque ſuaviſſimum animi paſtum prædicare ſolebat. Et quia tot mortuorum jampridem virorum doctiſſimorum famam adhuc Ingenij monumentis viventem, inter nomina cognoſcenda videbat, ſimili ſibi modo enitendum cenſuit, ut eadem aliquando ipſe Immortalitate donaretur.

Quibus cogitationibus occupatus, multò ardentiùs ſtudia in poſterum amavit, & tum præſtantiſſimos quoſque Authores in Bibliotheca ſua reconditos, & à tineis ac blattis fermè conſumptos, promovendæ rei literariæ causâ à mortuis revocavit, tum nova quotidiè Opera, Medica, Philoſophica, Mathematica, Poetica & Hiſtorica, laudis, honoris & gloriæ ſuæ monumenta, æmulanda fortaſſis, neutiquam ſuperanda

poſteris, magna diſcentium utilitate in publicum emiſit, & Typographos ac bibliopolas hâc ratione non parùm ditavit. Ita namq; in unaquaque earum ſcientiarum exercitatus erat, ut non in hac plus in illa minus, ſed in omnibus æqualiter excellere, & ſi quid discriminis vel leviter admittendum, præcipuè in ſtudium mathematicum omne ingenium ingurgitaſſe, in eoq; laudem cæteris abſtuliſſe videretur. Quæ præclara ipſius Exercitia verè nobilia, plæraq; fictitio nomine edita, quoniam in omnium manibus verſentur, et ab omnibus legantur, ijs recenſendis prolixius non immorabor. Tantum libet hîc exclamare ô virum immortalitate, quam ſic deſideravit, digniſſimum! ô virum omnium futuræ ætatis hominum præconio excipiendum & condecorandum! Et hæ quidem erant Ranzovianæ voluptates, hæ delitiæ, his die noctuq; ad mitigandum, nunquam ad ſatiandum inexplebilē ſtudij ſui ardorem etiam ſenex, altero pede in lecto, altero in cymba Charontis jam defixo fruebatur.

Cæterum ad Liberalitatem ejus prædicandam & extollendam, nullius vocem, nullius Eloquentiam, nullius ſtyli magnificentiam & apparatum ſufficere arbitror. Tanta enim eſt, ut nemo eam ſatis admirari, ne dum anguſtis orationis terminis includere poſſit. Jdcirco paucis nos etiam hic expediemus.

In tanta divitiarum copia, quibus à DEO Opt. Max. ita cumulatus erat, ut vel Principis cujuſdam, ne dicam Nobilis cenſum quovis anno æquaret, neque ſordidus, neque parcus nimium fuit. Datas enim ſibi divitias, non ut ſibi & poſteris ſuis omnes reſervaret, ſed ut egenis benefaceret, prædicare ſolebat. Itaque factum, ut quo plura largiretur, eò plura accreſcere, neque diminui ſed augeri ipſius liberalitate tantum divitiarum cumulum manifeſtò appareret. Noverat prætereà, nullâ homines re alia, propius ad Deorum naturam, quàm benefaciendo accedere, illorumque effigiem in ſe transformare. Quocirca multorum pauperum egeſtatem leuavit, ipſorum penuriæ aliquando pecuniâ, aliquando frumentis largè diſtributis ſubvenit. Quid jam noſocomia, quid orphanotrophia pauperibus alendis deſtinata commemorabo? quid ampliſsimos reditus, ad honeſtorum hominum inopiam ſublevandam, diverſis in locis Legatos, quos inter eos annuatim diſtribui, teſtamento peculiariter præcepit? quid tàm amplam pecuniæ vim, quam partim reſtaurandis vetuſtate collapſis, partim de novo reædificandis templis impendit? quid tot centena millia, quæ oppreſsis belli difficultate rebuspub. ad onera ipſarum quoquo modo declinanda ſuppeditavit? quid anne admiranda eſt ipſius liberalitas in tot palatiis, tot pulcherri-

mis ædium ſtructuris, ab ipſo grandævo à primis fundamentis excitatis? quid, anne prædicanda eſt ipſius liberalitas, qui tot veterum monumenta ſuo ære expolivit, nitori reſtituit, tot clariſsimis viris, jampridem demortuis ſculpturâ vitam dedit? qui tot columnas, tot lapides, tot obeliscos, tot Pyramides, tot Cypros, ut ſui ſuorumq́; æternitatem conſervarent erexit? qui tot arces, & uberrimi fœnoris poſſeſsiones, aliquot centenis millibus coemptas, ad paternorum bonorum hæreditatem adjecit, & in poſterorum uſum longè ſpecioſiori cultu reparavit, renovavit, funditus ædificavit? qui tot automata, tot organa ad motum cœleſtem conformata, tot vaſa ex auro, argento, cryſtallo, marmore affabre & concinnè exſculpta, ex longinquis etiam huc Regionibus advehi curavit, & ne quid ad tantam nominis Ranzoviani magnificentiam deſideraretur, nullâ ea in re pecuniâ, nullis ſumptibus pepercit? quid dicam, quod etiam miniſtros ſuos ad excitandam abſentium erga ſe gratitudinem, diſcedentes præter ſolutum ſtipendium auctuario ſatis liberaliter donatos à ſe dimiſit? Nec hoc tacendum, quod præſentibus hisce miniſtris ſuis, quorum fidelitatem, operam & obedientiam, tùm aliàs, tùm in morbo ſatis ſuperque perſpexit, non exiguam pecuniæ Summam teſtamento legavit.

Doctorum

Doctorum quoque virorum induſtriam, munificâ ſuâ liberalitate extimulavit, beneficijs maximis provocavit, ac, ut Jovij de Coſmo Medice verbis utar, quemadmodum erat incomparabili Iudicij gravitate, infinitaq́ꝫ prudentiâ ſupra cæteras res omnes: Studioſis egregiisq́ꝫ rerum Scriptoribus favendo donandoque Immortalitatem literarum beneficio, glorioſâ quadam aviditate concupivit, quod cives, quibus ipſe permulta pecuniæ atque honorum beneficia contuliſſet, vel immemores aliquando futuros vel omninò interituros diceret, itemque villas & arces regio à ſe ſumptu ædificatas, haud multo poſt vel temporis vel hominum injuriâ labefactari ac penitus abſumi poſſe arbitraretur. Quare eos, quoties libros, vel alia ejus generis nomini ſuo ſacrata Opuſcula & Epigrammata offerrent, effigie ſua aurea vel aliter liberaliſſimè remuneravit. Denique illam patentibus rivis diffuſam liberalitatem ſuam, erga omnes omninò homines exercuit, eamque non niſi in ſe uno frugalitate & continentia eſt moderatus, quorum beneficio ad tam raram ſeculo noſtro ſenectutem aſcendit. Ebrietatem contra ſumme odit, & quod memorabile eſt, propter eam difficilius ſibi quam aliis ignovit. In eoque multo quam plæriqꝫ Nobilium, rectius ſenſit, qui niſi quotidie effarctis cibo & vino ad ſatietatem uſque corporibus Baccho litent,

brevi

brevi nobilitatem ſuam interituram credunt. Quocirca ab hoc ut & vitijs alijs maximè abhorruit, nemoq́ue, cujus rei vos teſtes voco, quotquot eum noviſtis, nemo inquam, præter Iracundiam vitium in ipſo aliud animadvertit, quam tanta viciſſim illuſtrium virtutum multitudine compenſavit.

Porrò, quamvis ad hanc Severitatem vitæ ſuæ normam perpetuò accommodavit, ut neque ipſe injuriam alijs inferret, neque per ſuos inferri vellet: attamen nec ita ſecurus latuit, ſed multoties inuidiæ rabiem, & tam famæ quam vitæ ſuæ ſtructas per nefarios homines inſidias, oppoſitosq́ue felicitati ſuæ ictus ſenſit; ex quibus nihilominus divino tectus præſidio illæſus evaſit: Iſti verò ſceleris ſui pœnas, vindictam Deo exigente, jam tum partim dederunt, partim daturi ſunt, ni ſeriò reſipiſcentes pœnitentiam agant, & facti culpam deprecentur.

Sic quidem RANZOVIUS *vixit, hic curſus, hæc fortuna, hæc vita fuit. Quâ peractâ, cum veluti circumvoluto ad extremum punctum gnomone, per quatriduum leviter ægrotans, urgentem fati vim, & ferè ſupremum funeris diem tacitè præſenſiſſet, convocatis qui aderant, liberis, generis, nepotibus & miniſtris ſuis, in præſentiâ mœſtiſſimæ Conjugis, multa conqueſtus de impietate, perfidia, fraudibus, dolis, impoſturis,*

ris, & diſſolutis hujus ſeculi moribus, teſtatusq́; neque ſi liceret per naturam, ſe decurſo vitæ ſpacio à calce ad carceres reverſurum, gravi ſimul & vehementi Oratione, à primo vitæ ſuæ initio exorſus, brevem quandam ejus hiſtoriam per ſingulas partes deſcripſit, quidq́; ſibi in ea læti quidvè adverſi accidiſſet, demonſtravit, actisq́; DEO gratijs pro conceſſa ſibi tam diuturna virium ſuarum incolumitate, & proſpero omnium, quæ in vita ſuſcepiſſet, actionum ſucceſſu, ſingulos ut pietatem, & poſt hanc Sereniſſimum Regem Daniæ, Principesq́; Holſatiæ colerent, ac inter cætera Reipublicæ vulnera ſanarent, potioremque publicæ Concordiæ, fidei & honeſtatis, quam aliarum rerum curam haberent, rogavit, porrectaque ordine manu, alijs præ alijs vix lacrymas tenentibus, univerſis valedixit. Inde rebus pro tempore elegātiſſimè compoſitis, ſe animamq́; ſuam DEO creatori commendavit, ſumptaq; poſt ſeriam peccatorum ſuorum confeſſionem Sacra Synaxi, ſenſibus omnibus integris, neque vel leviſſimè, quod aſtantes obſervârunt, immutatis, octavo à morbo die, completo jam menſibus duobus minus, ſeptuageſimo tertio ætatis anno (Ranzovijs ferè, ut in Parente & avo ipſius, plurimisq́; alijs deprehenſum, fatali) dulciſſimo quaſi ſomno oppreſſus, in CHRISTO Redemptore ſuo, ſine dolore, ſine angore, edito etiam ad po-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

ſtremam miniſtri verbi divini vocem, conſtantiſſimæ fidei reſponſo et ſigno, pridie Januarij circa medium nonæ veſpertinæ, quo ipſo die & mater ante ſedecim annos deceſſerat, placidiſſimè obdormivit, exemploque nos ſuo docuit, quam nihil humana gloria, honor, ſapientia & potentia contra mortem valeat, hominemq́; tùm demum vita rectè functum, ſi eam felici & beato fine claudat.

Ex his omnibus intelligitis jam opinor, Auditores humaniſſimi, quo ſtemmate, quibus majoribus RANZOVIUS *noſter prodierit, quibus virtutibus effulſerit, quam præſtans Reipublicæ ornamentum fuerit, quamque præſtans eadem Reſpublica ornamentum amiſerit. Amiſit hæc Cimbria Parentem, amiſit Eccleſia tutorem, amiſit Reſpublica Senatorem, non vulgarem, ſed eum, in quo uno acquieſcebat, qui omnia ejus conſilia belli paciſq́; tempore prudentiſſime adminiſtrabat, cujus nutum plebej, Cives, Nobiles & optimates univerſi ſequebantur. Amiſerunt pauperes, viduæ, orphani protectorem & nutritorem. Amiſerunt peregrini aſylum, Exules perfugium, amiſerunt boni omnes benefactorem liberaliſſimum. Luget Cimbria, luget Patria, luget Conjunx, quæ propter ingens mariti deſiderium, ſine quo vitam jam*

acer-

acerbam & gravẽ putat, macie & triſti lachrymarum ſqualore obſita & rugoſa, vix eadem facie dignoſcitur. Lugent Parentis obitum filij, lugent filiæ, & ſub doloris magnitudine ferè ſuccumbunt, lugent Generi, lugent Affines, lugent Cognati, lugent Nepotes, lugent Neptes, quæ effuſum & imis viſceribus erumpentem erga avum deſideratiſsimum, lacrymulis per ora guttatim emanantibus, amorem teſtantur, lugent miniſtri, quos amantiſsimos ſui, vir omnium, quos Sol vidit, optimus, in vita habuit. Mœrent Cives, mœrent exules, pauperes, peregrini, orphani mœrent, & ad tanti Viri occaſum obſtupeſcunt. Nil niſi planctus, nil niſi ejulatus, nil niſi fletus, quo loca omnia domi foriſq; ſunt repleta, undique exauditur.

Ipſe hanc urbem ambiens & dividens STORÆ fluvius, in mœſtitiæ ſignum, non eo quo ſolet impetu aquas ſuas volvit, ſed eam velocitatem ſuam, miro quodam per has ſeptimanas ſilentio, aquiſq; diminutis repreſsit. Ipſa hæc ſubſellia, ipſi hi atrati parietes commiſeratione tanguntur, quæ ſi natura fieri pateretur, ipſa ultimis mœſtiſsimum funus lachrymis condecorarent.

O felicem quondam Holſatiam, tot fortium virorum parentem & procreatricem! feliciorem multò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

quanto hunc Immortalis ingenij virum ex ſe progenuit! feliciſſimam verò, quamdiu ejus beatiſſimis conſilijs frui licuit. Nunc rurſum multò miſerrimam, quando ejus præſidio orbata, velut mortua cum Ranzovio protectore ſuo interire videtur.

Sed non patiar, ut mœrori diutius indulgeatis, ut luctu vim veſtræ valetudini inferatis. Sat pijs manibus lacrymis noſtris litavimus, ſat ejus obitum deflevimus. Agite igitur forti animo ſimus, muliebres iſtas lacrymas oculis noſtris abſtergamus, & ad cœleſtia illa, quibus nunc perfruitur, gaudia mentem erigamus. Quandoquidem enim univerſi hujus conditor DEUS animam cum corpore hac lege devinxit, ut non aliter, tanquam ex hoſpitio, quacunque ille hora juſſerit, rurſum ei ſit emigrandum, tantumq́ commorandi aliquandiu non perpetuo habitandi ſpatium nobis conceſſit: gratias potius DEO nos agere oportet, quod tam diu divini hujus viri converſatione uti frui nos voluerit, quàm iniquiore animo ferre, quod eum hac provecta ætate, exhauſtis corporis viribus, tot laborum periculorumq́ difficultate, in hoc turbulento ſalo jactatum, oſtensâ melioris vitæ ſpe, ad placidiſſimum tranquillitatis portum perduxit.

Vita hæc quid aliud eſt, quam navigatio jactationis

nis & periculi pleniſſima, in qua nobis inter tot tempeſtates & procellas ad finem uſque eſt luctandum, quam qui optimè novit, minimi facit, quamque is demum tutiſſimè poſſidet, qui de ea ponenda cum DEUS *voluerit, ſæpiſſimè cogitat. Quod quidem* RANZOVIUM *omni tempore feciſſe, veriſſimum eſt. Ejus rei causâ manè & veſperi* DEO *vitam & mortem ſuam commendavit, corporis ſolutionem ab ipſo petijt, laborum ſuorum finem ſæpius optavit. Ejus rei cauſa, tot pias de morte meditationes conſcripſit, & Epitaphia à doctis ſibi adhuc vivo condita, ſuſpirabundus creberrimè inſpexit. Ejus rei causâ, Cryptam hanc, in qua corpus ſuum juxta Parentes & liberos requieſcere poſt mortem voluit, multò antè ex lapide ſolido excavatam conſtitui juſſit: Denique ne quem diem mortis cogitatione vacuum prætermitteret, Symbolum ſuum, quod ſic habet:*

Dies mortis, æternæ vitæ eſt natalis,

Des zeitlichen Lebens Außgang / iſt des ewigen Anfang:

ſemper oculis ſuis obverſari voluit, amicorum albis tanquam ἀξιόμνηστον *inſcripſit, & memori ſemper animo ſibiipſi inculcavit. Qui ita vivit benè profectò moritur, & qui ita moritur, benè profectò vixit. Quare ſperamus, optimè cum ipſo actum, omnibusq́ jam mi-*

 ſerijs

ſerijs liberatum, repoſita meritorum ſuorũ præmia conſecutum eſſe. De qua felicitate æterna ei gratulari, noſtram vero calamitatem & infortunium lugere debemus. Ille terreſtre hoc domicilium cum cœleſti, laborem quiete, mortalitatem immortalitate commutavit: nos adhuc tot infelicium curarum impedimentis obſepti, inter tot miſerias & quotidianas vitæ moleſtias ægrè ſpiritum trahentes, nihil niſi eandem ſummi Imperatoris ex hac ſtatione avocationem expectamus. Quocirca multò ejus fortunam præ noſtra beatiorem eſſe, neceſſe eſt, confiteamur.

Quodſi vivum adhuc ipſum omni honore, omni dignitate, cumulatum abundè volumus, vereor, ne injurioſi in defuncti cineres ſimus, ſi hanc ei felicitatem & ſupremum adeptæ divinitatis honorem luctu noſtro invideamus. Quamobrem viros nos denuò præſtemus, & quod unum ipſe de tumulo imperare poſtremò videtur, doloris noſtri habenas pauliſper contrahamus. In quo viro de me, de vobis præclarè merito, obſequium præſtabo, voſq́ exemplum meum ſecuturos confido.

Quod uunm nunc & ſummum reſtat pietatis officium frequentes peragamus, & Exuvias ejus extructo à ſe dormitorio inferamus; porrò vitæ probitate & innocentia in eam omnes curã incumbamus, ut abjectis, quæ curſum remorari poterant, voluptatibus et blandimentis

mentis, arreptisq́, ſi quando idem naufragium facere contingat, tabulis, per ſalebroſos hujus mundi fluctus & tempeſtuoſas procellas enavigando, ad beatum illud ſanctiſſimorum Angelorum contubernium, in quo RANZOVIUS *ultimò jam appellandus, ſine curis, ſine moleſtijs, ſine miſerijs vivit & triumphat, Duce & rectore Chriſto enitamur, Deoq́, in æternum conjungamur. Vale* RANZOVI, *Vale & Ave.*

DIXI.

TVMVLVS

Eidem conditus,

VIATOR ET GENIUS.

Quis tumulus præſens? G. RANZOI, ſtemmate longo
Qui genus innumeris nobile ducit avis.
V. Quis chorus? G. Aonidum. V. pullo cur luget ami-
G. Luget is infauſtas, tot ſua damna, vices, (ctu?
Præſidiumq; ſuum, tutamen honoris aſylum
Proh, proh, tàm ſubito funere fracta, dolet;
Solus enim miſeras hac tempeſtate Camœnas
Millibus è multis, qui coluére, fuit.
V. Illa reclinatá quæ fulcit marmora fronte (brum.
Quæ diva? G. eſt Pietas. V. quid gerit ante? G. Li-
V. Quid liber? G. Oſtendit varias quas calluit artes,
Quæque dedit proprió ſcripta diſerta ſtylo.
V. Quid PALlas clypeata notat? G. Regiq; Duciq;
Quam tulit optatam ſæpe ſalutis opem.
Quin & conſilijs ipſo quod turbine, ſumpta
Non ſemel à patrio depulit arma ſolo.

Inde

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

V. Inde caput tumuli circumſtans ſancta propago
Quæ ſit, quæq; ferat nomina, quæſo, refer?
G. Hæc medio fixis, generoſa virago, trophæis
VIRTUS difficilem pandit ad aſtra viam,
At *Labor* à dextra, *Experientia* cana ſiniſtris
Eminet, à tergo fronde revinctus *Honor.*
Hæ ſunt quæ vivum paſsim fecére per orbem
Regibus acceptum Principibusq́ue viris.
Hæ ſunt *RANZOVIUM* memori quæ morte re-
Et faciunt ſummi Numẽ habere Dei. (condunt,
In ſe nam transfert Numen cœleſte, caduci
Securus, quiſquis Numine digna facit.
V. Tale igitur Numen moritur? *G.* ne crede, ſed iſta
Si quid ſaxa tegunt, corpus inane tegunt.
Verum pars melior (Numen quod dicimus) extra
Se rapta, Elyſij gaudia ſentit agri.
Nec ſat digna Dijs tellus eſt viſa fruatur
Longius hoc tanto quæ malegrata viro.
Sic jure ad tempus dederat quo Iupiter uti
Ingrato rurſus poſcit ab orbe bonum.
V. Vera mihi narras. Sed MORS quid ſignat? G. Eo-
Semita quod cunctis hæc ſit eunda gradu (dem
V. Poſtremò expanſis cur virgo buccinat alis?
G. Hæc decus æterna laude vigere monet.
Ut licet in cunctis regnet Mors invida rebus,
Attamen haud poſsit fama decusque mori.

K Sufficit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

Sufficit hæc paucis ſaltem monſtraſſe viator,
Cætera ſunt geminis ſat benè nota polis.
Atque hæc ſi nôſti, non te remorabor, id unum
Te quoque mortalem noveris eſſe, VALE.

ALITER.

RANZOVIUS poſtquam fatis conceſſit, Eoi
Gloria & Heſperij ſtella coruſca ſoli:
Protinus ingentem Muſæ fecêre ruinam,
Luxit & amiſſum mundus uterque decus.
Nec Phœbus radios mœrentibus intulit aſtris,
Occuluitq́; ſuas Cynthia pulchra faces.
Scilicet ipſa ſuum teſtantur ſidera luctum,
Sidera RANZOVIO funera mœſta parant.

Macropus.

FINIS.

Sphalmata:

Quæ irrepſerunt, benevolus lector ita emendabis.

A Col. 4. Lin.	14.	effectu pro affectu.
A. 5.	11.	orta pro ortu.
A 7.	13.	ſubiunge: contubernium.
B. 3.	12.	Infinitam pro inſitam.
B. 7.	22.	Amilio pro AEmilio.
C. 1.	1.	aſſequamur pro aſſequemur.
C. 7.	3.	Vigeſpertus pro Vipertus.
D. 4.	6.	Schacrone pro Schaccone
D. 4.	20.	viris pro vivis.
D. 8.	4	Curiculo pro curriculo.
D. 8.	19	etam pro etiam.
E. 1.	8.	milſimo pro milleſimo.
E. 2.	16.	Runzovium pro Ranzovium.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]

3537

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3537 4° [45,-197]